RosDok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dissertatio Inauguralis Juridica De Concubinatu

Denuo Recusa, Halæ Magdeburgicæ: [Verlag nicht ermittelbar], MDCCXXVIII

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857867904

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857867904/phys_0001
DFG

Hiervon keine Rost. Dissertationen.

Ja-1135 1-38

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857867904/phys_0002
DFG

15.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE

CONCUBINATU,

QUAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENB.
RELIQUA,
AUCTORITATE ET CONSENSU ILLUSTRIS
FACULTATIS JURIDICÆ,
PRÆSIDE
DN. CHRISTIANO THOMASIO,
JCTO &c.
FACULTATIS JURIDICÆ H. T. DECANO,
PRO LICENTIA
SUMMISQVE IN UTROQVE JURE HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
MORE MAJORUM LEGITIME CONSEQVENDIS,
IN AUDITORIO MAJORI
AD D. VIII. APRIL. ANNO MDCCXIII.
HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS,
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
ERHARDUS JULIUS Riechel,
ULMENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
DENUO RECUSA M D CC XXVIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857867904/phys_0003
DFG

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

CONCUBINATU.

Scopus Dissertationis. I. *Methodus dicendorum.* II. *Concubinatus Hebræorum ante legem licitus.* III. *Ejusque a matrimonio differentia genuina.* IV. *Ratione concubinatus post legem Mosaicam præmittuntur sex præsupposita.* V. *Concubinatus conditio post legem Mosaicam.* VI. *In specie intuitu libertatis dimittendi concubinas.* VII. *Concubinatus omnis an a Christo & Apostolis fuerit prohibitus.* VIII. *Concubinatus jure Gentium licitus.* IX. *Item & apud Græcos,* X. *Romanorum sententia de Concubinatu ante Christianismum intuitu provincialium, libertarum, ancillarum.* XI. *Intuitu ingenuarum.* XII. *Concubinatus illicitus si quis jam uxorem habeat.* XIII. *Differentiæ præcipuæ concubinæ ab uxore justa.* XIV. *Concubinatus Romani honestas in comparatione ad concubinatum Hebræorum.* XV. *Respondetur objectionibus, quasi concubina sit nomen voluptatis.* XVI. *Durasse opinionem de honestate concubinatus etiam apud Christianos Imperatores usque ad Leonem Philosophum.* XVII. *Occasio, qua inceptum fuerit, concubinatum habere pro scortatione autoritas patrum ecclesiæ.* XIIX. *Imprimis Ambrosii.* XIX. *Hieronymi* XX. *Potissimum vero Augustini.* XXI. *Non tamen mox in Ecclesia ante Novellam Leonis recepta.* XXII. *An post Novellam in Imperio Occidentali recepta fuerit, jure Civili vel Canonico, dubitatur.*

XXIII. *Licentia concubinatus sub Imperatoribus Germanis.* XXIV. *Rationes contra licentiam concubinatus.* XXV. *Rationes pro licentia concubinatus.* XXVI. *Vera ratio concubinatus tamdiu tolerati lascivia cleri Pontificii.* XXVII. *Primus inter Pontifices Leo X. initio seculi decimi sexti concubinatum prohibuit astute magis quam serio.* XXIIX. *Postea in ordinatione politica* 1530. *eadem prohibitio sed frigide nimis repetita* XXIX. *Nec initio reformationis concubinatus omnis pro turpi habitus.* XXX. *Exemplum illustre concubinatus liciti adhuc in medio seculi decimi sexti.* XXXI. *Paulo post concubinatus in Concilio Tridentino prohibitus, & a Francisco Hotmanno oppugnatus.* XXXII. *Et in ordinatione politica* 1577. *prohibitio repetita* XXXIII. *Ab illo tempore concubinatus apud nos illicitus.* XXXIV. *Usus Dissertationis præsentis.* XXXV.

§. I.

Scopus Dissertationis.

NOn est animus defendere licentiam (a) Concubinatus, nec impugnare leges hodie receptas concubinatum sub pœna prohibentes; saltem id ostendemus, concubinatum nec ad fornicationis, nec ad stupri, nec ad adulterii genera olim tam apud Hebræos, quam apud Romanos, etiam in primis seculis Christianæ religionis, pertinuisse, sed inter concubinatum & matrimonium aliquam quidem, verum exiguam fuisse differentiam, quod vero hodie pro stupri, aut fornicationis, aut adulterii specie habeatur, ejus originem deberi juri Canonico, (b) & ex parte (c) hypothesi juris Pontificii a Protestantibus jure optimo maximo negatæ, (d) quod matrimonium sit sacramentum.

a) Licentia duplex est, alia externa, alia interna. Illam voco, cum

cum quis agere potest efficaciter sine metu pœnæ; vel nullitatis, aut ignominiæ. Hanc, cum quis agere potest sine læsione virtutis & honestatis ex lumine rectæ rationis deducendæ. Unde facile patet, licentiam hanc duplicem non continere quidem species ubique oppositas, quales sunt v. g. homo & bestia, sed separabiles tamen, quales sunt v. gr. multæ divisiones juridicæ & morales, v. g. obligationis in externam & internam, actionis in rei persecutoriam & pœnalem &c. Ita v. gr. in testamenti factione concurrere possunt licentia externa & interna. Ita licentia externa potest esse sine licentia interna, v. gr. si quis sine læsione præceptorum justitiæ violet leges decori & honesti, quo pertinet vulgare dictum: non omne quod licet, honestum est. Ita denique licentia interna potest esse sine licentia externa, v. gr. si quis testamentum faciat sine requisitis testamenti receptis. Huc respexit etiam versiculus vulgatus, *omnia cum liceant* (extrinseca licentia, etiam parum honesta, *non licet esse pium*) cum tamen pietas haud dubie ad licentiam internam pertineat, vera scilicet & rationalis non fucata. Ostendit autem contextus, quod nolimus defendere licentiam concubinatus externam, etsi subinde in ipsa dissertatione examinaturi simus rationes communes, quæ afferuntur, etiam a nostratibus, contra licentiam concubinatus internam. Multa enim, quæ abstrahendo a legibus civilibus, intrinsece licent, non minus recte legibus civilibus sunt interdicta, e. g. matrimonium sine benedictione sacerdotali.

b) Juris Canonici voce hic paulo latius utor, pro omni jure, quod originem debet Patribus Ecclesiæ, vel Episcopis, & eorum doctrinæ, hypothesibus & consiliis, etiam si id a principibus Christianis per modum legum & constitutionum imperatoriarum sit publicatum, quale jus passim extat in Codice, tam Theodosiano, quam Justinianeo, (& hujus intuitu *in prioribus titulis libri I. Codicis*,) item in Novellis Leonis & aliorum Græcorum Imperatorum. Quatenus enim jus Canonicum stricte sumitur pro eo jure, cujus hodie doctores creamus, ex infra dicendis

cendis patebit, id sibi non constare, ac intuitu concubinatus & ejus licentiæ sibi aperte contradicere.

c) Dico ex parte. Nam confusio ista concubinatus cum stupro, scortatione, adulterio haud dubie antiquior dogmate de Sacramento matrimonii. Confer interim de origine doctrinæ de septem sacramentis Ziegl. *ad Lancel. lib. 2. tit. 1. §. 2. p. 301. in fine.*

d) Non tamen propterea quisquam arbitretur, quod male cohæreat doctrina nostra, dum diximus, nos nequaquam impugnaturos esse leges hodiernas, concubinatum sub pœna prohibentes, cum tamen hic statim subnectamus, earum originem vitiosam esse. Ergo videri priorem assertionem non esse seriam, sed latere anguem in herba &c. Sed facilis ad eam objectionem erit responsio. Non omne, cujus origo vitiosa, ipsum vitiosum. Pleræque formæ vestimentorum, maxime muliebrium, ambitioni, luxuriæ vel stultitiæ originem debent, propterea tamen non putandum, quod vir sapiens sine vitio ejusmodi vestimentis uti non possit. Imo quotidiana testatur experientia, eos & eas, qui quæve in emendatione vestimentorum initium sapientiæ, vel plane criterium sanctitatis quærunt, egregie falli, cum ista affectatio non raro ex occulta quadam vel ambitione vel avaritia originem ducat. Sed, ut etiam exemplo alio propius ad thema nostrum accedente sententiam nostram illustremus: v. gr. necessitas benedictionis sacerdotalis in matrimonio legitimo haud dubie pariter originem debet hypothesi doctrinæ Pontificiæ de sacramento matrimonii. Propterea tamen non solum recte Principes Protestantes hanc necessitatem hujus benedictionis retinent, sed & imprudenter ageret, qui Principi Protestanti suadere vellet, ut necessitatem illam lege publica abrogaret, etsi quibusdam in locis Evangelicæ religionis illa certo modo sit abrogata. Vid. Sim. a Leewen *Censur. Forens. L. 1. c. 14. n. 1. 3. & 7.*

§. II.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857867904/phys_0008
DFG

§. II.

Ac ea quidem methodo utemur, ut nec nimis anxia collectione eorum, quæ ad ſcopum noſtrum faciunt, terminos diſſertationis Academicæ transgrediamur, (a) nec ſuperficiaria etiam tractatione tædium paremus Lectori. Igitur initio Legis Moſaicæ ſententiam de concubinatu & materiis affinibus exponemus. Tum obiter tactis moribus Græcorum & aliorum populorum ſententiam legum Romanarum tam ante, quam poſt ſuſceptam religionem Chriſtianam exhibebimus, earumque differentiam a concubinatu Hebræorum oſtendemus. Porro originem & progreſſum concubinatus interdicti ſummatim trademus, ac denique de uſu diſſertationis præſentis pauca monebimus. *Methodus dicendorum.*

a) Neque enim tempus nobis ſupereſt, eam inquiſitionem ac collectionem inſtituendi. Et ſi maxime ſupereſſet, poſtularet rerum collectarum ordinatio ac explicatio adhuc longius temporis ſpatium, & ſic loco diſputationis integrum volumen eſſemus exhibituri.

§. III.

Quod igitur Hebræos (a) attinet, ante omnia videndum, quomodo ante legem Moſaicam concubinatum conſideraverint. Ubi nullum eſt dubium, inter matrimonium & concubinatum exiguam fuiſſe differentiam, cum & polygamia & divortia, (b) imo etiam ipſi innuptarum concubitus extra matrimonium, vel libidinis vel mercedis cauſa, pro licitis fuerint habiti. (c). Quare tunc concubinatus erat conjunctio facile diſſolubilis maris etiam uxorem jam habentis (d) & fœminæ (e) absque affectione maritali (f) liberorum procreandorum cauſa. (g) *Concubinatus Hebræorum ante legem licitus.*

a) Primario hic utemur textibus Scripturæ Sacræ. Rabbinorum tradita, quæ magna diligentia collegit Seldenus in libris

partim *de jure Nat. & Gent sec. discipl. Hebr.* partim *de uxore Hebraica & de successionibus*, parum curabimus, sic tamen, ut ea non prorsus negligamus, quatenus videlicet rectæ rationi & Scripturæ Sacræ non repugnant.

b) *Matrimonium ex jure, quod Ebræi vocant naturali, erat viri & fœminæ sive unius sive plurium fœminarum tam ex concubinatu, quam ex consensu præeunte conjunctio, vitæ consuetudinem continens. Non adjiciunt individuum, quod Christiani habemus in matrimonii definitione. Neque enim separari aut dividi negabant conjuges, seu matrimonium dirimi, nisi ex singulari aliqua legis permissione, seu repudii causa neque communis consensus necessarius erat, ut dirimiretur. Neque individua dici potuit vitæ consuetudo, quæ æquo jure a marito pluribus communicaretur, &c.* Seldenus *de J. N. & G. Sec. disc. Hebr. lib. 5. c. 7. ab initio.* Eadem est sententia Grotii *de J. B. & P. L. 2. c. 5. §. 8.* Conjugium naturaliter esse talem cohabitationem, (intellige concumbendi & liberorum causa initam,) quæ fœminam constituat quasi sub oculis & custodia mariti, cum accessione fidei, qua se fœmina mari obstringat. Scio equidem, communiter impugnari hanc Seldeni & Grotii sententiam, sed rationibus parum firmis, vel jus naturale cum positivo confundentibus, vel falsas aut dubias Rabbinorum vel cleri Pontificii hypotheses fundamenti loco supponentibus. Abstrahendo enim a lege positiva omnes societates naturales omnibus gentibus communes finibus differunt, adeoque fines cujusque societatis particulares iis formam dant & essentiam. At matrimonii finis ex communi etiam consensu est procreatio sobolis. Ergo etiam ad societatis conjugalis essentiam nihil amplius requiritur, quam utriusque sexus conjunctio, conjuncta cum vitæ consuetudine ad obtinendum hunc finem directa, quod etiam volunt Seldenus & Grotius. Etsi autem Dn. Præses *in Fundam. J. N. & G.* docuerit, debere etiam in matrimonio procreationem sobolis esse *decoram*, cum tamen decorum, etiam naturale, non in puncto consistat, sed varios gradus sub se contineat, cavendum

dum simul est, ne, si societas aliqua pro fine habens procreationem sobolis, sit minus decora, quam altera, ea pro injusta aut indecora vel turpi statim habeatur, sed saltem pro minus perfecta aut minus decora.

c) *Fœminam, cui potestas erat sui & dominium, id est innuptam sui, in aliquam concubitus vicem, sine consensu in vitæ communionem, copiam, ante legem Mosaicam licite ajunt permisisse, seu locasse, aut se sic tradidisse, ut pro breviusculo ejusmodi amplexuum momento sive amicæ, sive meretricis, modo neutra earum alteri nupta esset, sive locationem traditionemve aut concumbentis possessionem concederent, æque ac cujusque alicujus rei mancipii locationem usum fructumve,* Seldenus *de J. N. & G. S. D. H. l. 5. c. 11. p. m. 575.* ubi etiam eum in finem citat Ambrosium *lib. 1. de Abrahamo c. 4.* qui tamen jam non est ad manus. Adducitur etiam ad hujus sententiæ illustrationem historiola de Juda & Thamare ex *Genes. XXXIIX. p. 14. seq.* Et quamvis eidem obstare videatur pœna capitalis, qua Judas Thamarem punire voluit, ipse tamen Seldenus alibi *d. tract. lib. 7. c. 5. p. 851.* respondet, eam pœnam non ex jure naturæ aut lege Noachidarum, sed ex jure civili seu positivo sive a Juda Principe sive aliter superinducto esse derivandam. Quæ tamen responsio minime satisfacit. Si enim Rabbini, dum docent, ante legem Mosaicam concubitum libidinis causa vel data mercede licitum fuisse, loquuntur de licentia interna, eorum sententia aperte falsa est. Si vere loquuntur de licentia externa, non tollitur istud dubium per istam responsionem, partim quia manet objectio, concubitum Thamaris non fuisse licitum, quia fuerit punibilis, (etiamsi ex lege civili) partim, quia nulla pœnæ determinatio fluit ex jure naturali, sed omnis juri civili ortum debet. Ergo mallem respondere, Judam ex iracundiæ præcipitantia sine regulis justitiæ dictitasse illam pœnam nurui, postea vero sedato affectu errorem a se commissum agnovisse. Conf. Cleric. in *notis ad Genes. Cap. XXXIIX.* Unde fabula haud dubie est, dum dicunt, Thamarem absolutam esse ex voce cœlesti, quam *Bath*

Col

Col seu *filiam vocis* nominant, cujus mentionem facit Seldenus *d. p. 851.*

d) *Cum vero legitima uxor consensu præeunte, eoque concubitu confirmato, in vitæ consuetudinem acciperetur, pluresque ita simul possent rite haberi, cumque matrimonium, pro alterutrius conjugis arbitratu, nunquam non esset, etiam sine libello* (ante legem) *solvendum; sequitur, concubinam, quæ item in concubitum & vitæ consetudinem æque adsciscí soleret, nec leviori divortii genere disjungi posset, aut nominetenus duntaxat, aut saltem dignitatis minoris, (ubi v.g. ancilla esset, aut generis obscuri) ratione ab uxore discrepasse; jugalem vero contractum nodumque utrique eundem ipsum fuisse.* Seldenus *d. Tract. l. 5. c. 7. p. 592. seq.* ubi & statim ostendit, concubinas etiam promiscue dici uxores a Philone, Augustino, aliis.

e) Ut patet exemplo concubinarum Nachoris, Abrahami, Jacobi *Genes. XXII, 24. XXV. 5. XXXV, 22.* Conf. Selden. *d. p. 592.*

f) Alium tamen maritum non habentis.

g) Per affectationem maritalem hic intelligo communicationem dignitatis, qua maritus pollet.

h) Ergo tum temporis concubinatus finis non fuit extinctio libidinis, adeoque hoc intuitu concubinatus neque scortationis, neque stupri species fuit: imo & pro adulterio haberi non potuit, quoniam polygamia tum erat permissa.

§. IV.

Ejusque a matrimonio differentia genuina.

Ergo tum quidem nulla alia inter concubinatum & matrimonium, item inter concubinam & justam uxorem fuit differentia, quam ut justæ uxores participarent de dignitate mariti, concubinæ vero essent ancillæ vel ex genere obscuro natæ.

a) Repete locum Seldeni *ad §. præced. lit. d.* descriptum. Huc pertinet etiam locus Philonis ap. Selden. *d. p. 592. Nabor, Abrahæ frater duas habuit UXORES, justam & concubinam.* Clericus *ad Genes. XXII, 24. Si quæratur, quale fuerit concubinarum & justarum uxorum discrimen, quatenus ex sacris litteris*

teris colligi potest, apparet quidem concubinas eodem in honore non habitas. Hagarum nunquam æquiparavit Saræ Abrahamus, atque ex ædibus, hac volente, ejicit. Keturam amandavit etiam cum liberis. Verum quodnam inter utrasque discrimen esset in aliis, non liquet. Rabbini volunt, concubinam fuisse uxorem servam absque scripto dotali & sponsalibus, cujus libri legatis tantum, nam hereditate fruuntur. Sed ut hæc posterioris ævi consuetudine vera sint, certe antiquis temporibus omnia non obtinebant, nam concubinarum filii paris erant juris, nisi pater nollet. Idque exemplo filiorum, Jacobo ex concubinis natorum, constat. Idem ad Genes. XXI, 10. Confer. Seldenum *de J. N. & G. &c. d. l. p. 593. & de succes. Hebr. in bona def. c. 3. p. 11.*

§. V.

Ratione concubinatus post legem Mosaicam præmittuntur sex præsupposita.

Antequam vero nunc videamus, utrum ratione concubinatus per legem Mosaicam aliquid novi statutum fuerit, præsupponendum, quod 1) Polygamia virilis in lege Mosaica fuerit permissa, aut certe non abrogata, (a) 2) quod intuitu divortii licentia pristina hactenus fuerit restricta, ut uxori regulariter non permitteretur a viro divertere, (b) marito vero ex justa causa permissum fuerit, uxori dare libellum repudii, (c) 3) quod lege Mosaica saltem concubinatus cum aliena uxore non vero cum alieno marito pro adulterio fuerit habitus, (d) 4) quod pro strupro fuerit habitus concubitus libidinosus cum virgine vel vidua honeste vivente, nec tamen pœna graviori coercitus, (e) 5) quod scortatio cum fœmina, quæ corpore quæstum facit, interdicta quidem fuerit, sed pœna tamen ejus lege determinata non legatur, (f) 6) quod etiam liberi incestuosi & illegitimi parentibus ab intestato succesſerint. (g)

a) Vid. Seldenus *de J. N. & G. l. 5. c. 6. p. 585. seq. & de Uxore Ebraica lib. I. c. 9.*

b) Seldenus *de U. E. l. 3. c. 22. p. 343. seq. junct. cap. 7. circa finem & cap. 19. paulo post initium*, ubi simul tradit exceptiones.

c) Deuteron. *XXIV. v. 1. seq.* ubi mentio fit rei fœdæ seu turpis. De cujus intellectu postea gravis dissensio orta inter sectam Sammæanam & Hillelianam, quam latius exponit Seldenus *de Uxor. Hebr. Lib. 3. c. 18. seq.* Et Lutherus etiam noster reddidit, um irgend einer Ursache willen, quæ erat sententia Hillelis, rejecta tamen a Christo in disputatione cum Pharisæis Matth. *XIX. v. 3.* Interim non comtemnenda etiam est conjectura Clerici *ad dict. locum Deuteronomii.* Judæos ante orta dissidia inter Sammai & Hillel in praxi secutos esse sententiam Hillelis, cum nullus fuerit judex constitutus, qui examinaret, an maritus justam causam dimittendi uxorem haberet, nec ne.

d) Levit. *XIIX, 20.* & *XX, 10.* Deuter. *XXII, 22.* videlicet ob toleratam polygamiam virilem. Adde Huberum *in prælect. ad Instit. tit. de publ. Judic. §. 5.*

e) Deuteron. *XXII, 28.* Seldenus *de U. E. l. 1. cap. ult.*

f) De scortatione prohibita agunt in sacris litteris textus Levit. *XIX, 29.* de patre filiam prostituente, Levit. *XIX, 9.* de comburenda filia sacerdotis, si scortari cœperit, Deuter. *XX, 21.* de lapidanda fœmina, quæ in domo patris scortata, postea nubendo se virginem mentita, ac a sponso virgo non inventa fuerit, Deuter. *XXIII, 17.* quod non debeat esse meretrix inter Israelitas. Deuter. *XXIII, 18.* de non inferendo in ædem DEI domo prostibuli. Ceterum dissentiunt interpretes, quid in lege Mosaica per meretricem & scortum intelligatur, an in genere ea, quæ corpore quæstum fecit, an in specie quæ intuitu cultus idololatrici corpus prostituit, an etiam illa quæ omnibus promiscue usuram corporis indulsit. Vid. Seldenus *de J. N. & G. l. 5. c. 4. p. 576. seq.* item Clericus *ad citata loca legis Mosaicæ.* Et nullum est dubium, Deuter. XXII, 21. per fœminam in domo patris scortatam, forte etiam Levit. XXI. 9. per

9. per filiam sacerdotis scortationi indulgentem, intelligi, non scortationem stricte dictam, quæ stupro opponitur, & publicam corporis prostitutionem supponit, sed fœminam stuprum passam, idque occultantem. Credo etiam, nullum subesse dubium, quod in populo Israelitico non tolerata fuerint lupanaria publica, interim, uti apud Protestantes hodie, ubi etiam lupanaria publica non tolerantur, non desunt tamen fœminæ, quæ corpore quæstum faciunt, & cum pluribus pro mercede concumbunt; ita etiam verosimile est, apud Israelitas ejusmodi prostibulorum exempla non defuisse. De horum autem pœna nihil determinatum legitur in legibus Mosaicis. Nam textus Levit. XXII, 5. & Deuter. XXII, 22. utpote de casibus plane specialibus loquentes huc non pertinent. Nullum tamen est dubium, quin ejusmodi scorta minimum pro infamibus fuerint habita. Conf. Cleric. *ad Deut.* XXII, v. 21.

g) Qui Mamzeres vocabantur. Vid. Seldenum latius probantem successionem liberorum illegitimorum *in tractat. de successione in bona defuncti cap. 3.*

§. VI.

Concubinatus conditio post legem Mosaicam.

His præsuppositis jam quæritur, an concubinatus etiam post legem Mosaicam in usu fuerit? (a) cum quibus fœminis concubinatus fuerit permissus? (b) & quænam concubinatus a matrimonio & prohibitis concubitus (c) speciebus fuerit differentia, tam ratione formæ (d) quam ratione effectus? (e) Ubi variantibus subinde Doctorum sententiis videtur verosimile, concubinatum non fuisse prohibitum lege Mosaica; rariora vero exempla in scriptura sacra concubinatus occurrere, adeoque imprimis ante constitutos reges rariorem ejus fuisse usum. (f) Porro pro concubinis usurpatas esse vel fœminas Israeliticas, quæ uxores duci poterant, vel ancillas & peregrinas seu extraneas, quæ Israeliticam religionem non pro-

fitebantur, etiamsi essent proselytæ domicilii. (g) Has vero concubinas nec pro stupratis, nec pro meretricibus nec pro adulteris fuisse habitas, nec pro justis uxoribus. (h) Denique concubinatum a matrimonio justo secretum fuisse, quod iterum concubinæ non in pari dignitate fuerint constitutæ, ut uxores, & quod concubinatus contraheretur sine pactis dotalibus & præcedentibus sponsalibus, aliisque justarum nuptiarum solennitatibus, (i) cæterum etiam ex concubinis quibusvis natos liberos successisse in bona parentum, nisi patri aliud placuerit; (k) & concubinatum, etiam cum ancilla & extranea, etsi non fuerit laudabilis, fuisse tamen impunem. (l)

a) Rationes dubitandi. 1) Concubinarum nulla mentio in lege Mosaica. 2) Nec sacra scriptura exempla concubinarum indubia ante constitutos Reges memorat. Tempore Regum autem constitutorum non pauca, etiam sub primis regibus usu introducebantur, quæ non adeo convenirent cum lege Mosaica.

b) Ratio dubitandi. Seldenus docet quidem matrimonium apud Hebræos non fuisse cum ancilla, nec cum proselyta domicilii, imo ne quidem cum omnibus indistincte proselytis justitiæ, si fuerint ex populis, quorum conjugia interdicta erant Israelitis; nisi post aliquot generationes: sed tamen an concubinatus cum istis personis fuerit licitus & impunis, perspicue non tradit, sed vel fluctuat, vel rationes dubitandi pro negativa suppeditat ostendo, quod si non omnes, saltem plerique concubitus ejusmodi verberibus fuerint coerciti. Vid. Selden. *de J. N. & G. l. 5. c. 4. p. 577. & c. 12. 13. 14. 15.*

c) Potissimum a scortatione, quam concubinatus cum extranea seu gentili pro specie scortationis videatur fuisse habitus. Confer Selden. *d. lib. 5. cap. 12. p. 641.* Unde & mater Jephthæ, quæ videtur fuisse concubina, vocatur meretrix. Jud. XI, 2. seq.

d) Tum ratione impunitatis, ubi vide, quæ modo notavimus *lit. b.* tum ratione licentiæ dimittendi concubinam, an etiam hic justa

justa divortii causa requisita fuerit, aut minimum solennitas libelli repudii, etiam in dimittenda concubina fuerit necessaria, supposito quod concubinatus fuerit permissus aut impunis, & quod inter concubinæ & uxoris dimissionem ante legem nulla fuerit differentia. Neque meminerim, hanc quæstionem a Seldeno & Clerico aliisque esse tractatam; tum ratione successionis liberorum ex concubinis natorum, an illi successerint patri nec ne? Sunt autem nonnulli Doctorum, qui docuerunt, concubinarum liberos in genere non successisse patri. Seldenus *de succeſſ. in bona defuncti cap. 3. p. 11.* & communis Rabbinorum doctrina est, natos ex ancilla & extranea seu gentili ad successionem patris non fuisse admissos, eoque trahunt etiam, quod fratres Jephthæ eum a successione excluserint. Idem *ibid. p. 13. seq.*

f) Concubinatum non esse prohibitum in lege Mosaica constat ex ipsa legis inspectione. Rariorem fuisse ejus usum ante Reges, inde verosimile est, quod pauca ante regnum constitutum memorentur exempla concubinarum in sacris litteris, aut si referantur, videantur tamen aut esse dubia, aut quæ continere videantur aliquid irregularitatis. Ita Judicum IX, v. 18. Abimelechus filius Gideonis natus dicitur a serva seu pellice, id est concubina. Ita Jephtha Judic. XI, 1. dicitur filius Galahadi ex meretrice, quæ tamen mox aliena mulier, id est, alienigna dicitur, i. e. concubina. Ita Simsonis uxor Philistæa Judic. XIV. non erat justa uxor, etsi uxor vocetur, sed concubina. Ita Levitæ Judic. XIX, 2. seq. uxor pellex seu concubina memoratur, & tamen vir ejus vocatur, ac soceri & generi ibidem fit mentio, quia videlicet & ante legem & post legem concubinæ erant uxores secundariæ aut instar uxorum. Conf. Cleric. ad *dicta loca*, Seldenum *de J. N. & G. Lib. 5. c. 7. p. 594.*

g) Etsi Seldenus in libris de *J. N. & G. & de U. Ebr.* doctrinam de concubinis post legem Mosaicam earumque differentiam a concubinis ante legem satis distincte explicet, & quandoque fluctuet, diserte tamen in tractatu *de succeſſ. in bona def. c. 3.* non solum concubinarum earum, quæ nec ancillæ, nec extra-

neæ seu Gentiles, sed in uxores rite duci potuissent, mentionem *non procul ab initio p. 9.* facit, sed & paulo post *p. 14. in medio & p. 16. circa finem* alteram concubinatus speciem cum fœminis, quæ conditionis servilis, aut extraneæ seu gentiles, vel etiam proselytæ domicilii erant diserte asserit. Quorsum etiam pertinent exempla memorata concubinarum Gideonis, Galahadi, Simsonis.

h) Non pro *justis uxoribus*, quia his & ante legem & post eam opponuntur; non pro *stupratis*, quia stuprum supponit concubitum non frequenter continuatum; non pro *adulteris*, quia adulterii conceptus, ut §. *præced.* jam notatum, involvebat saltem concubitum cum aliena uxore, non pro *scortatricibus*, vel *meretricibus*, quia nec corpore quæstum faciebant, nec pluribus copiam corporis indulgebant, sed erant Uxores secundariæ. Unde Judic. XIX. & concubina Levitæ scortata esse dicitur, intuitu concubitus non cum Levita, sed cum aliis, adeoque eo in loco concubinatus & scortatio minimum ut distincta proponuntur. Unde & de universo Hebræorum concubinatu Calvinus *in Commentario ad Genesin*, adductus ab Alberico Gentili *de nuptiis l. 1. c. 4.* in fine ita sensit: *Concubinæ Hebræis, quæ thori socia, non bonorum: item & legibus omnium gentium, secunda uxor, non SCORTUM.* Interim hactenus dicta suppeditant divisionem concubinatus Hebraici in concubinatum omnino licitum, tam quoad licentiam internam, quam externam, videlicet cum fœminis, quæ in uxores rite duci potuissent, & in concubinatum illicitum, quoad licentiam internam, conf. Selden. *de succ. in b. d. c. 3. p. in fine*, etsi per mox dicenda & hic fuerit licitus extrinsece, id est, impunis, cum fœminis quæ uxores duci non poterant, scilicet cum extraneis idololatriæ addictis, ne videlicet commercio ejusmodi familiari Israelitæ a cultu veri DEI abducerentur. Cæterum an concubinatus cum ancillis, cum quibus etiam post legem Mosaicam non erat justum matrimonium, pro licito an illicito fuerit habitus, subsisto, etsi non diffitear, hunc concubinatum secundum circumstan-

stantias plerumque conjunctas consideratum, haud dubie ad illicitos concubitus fuisse referendum quatenus videlicet ancillæ religioni Ethnicæ erant addictæ, ut Judaismo nondum initiatæ, de qua initatione confer Seldenum *de J. N. & G. l. 2. c. 3. p. 149. seq. & cap 5. p. 172.*

i) de priori i. e. concubinæ inferiori dignitate quam uxoris, nullum credo esse dubium. Neque enim hic quicquam mutatum legitur in lege Mosaica. Ante eam vero concubinas non participasse de dignitate mariti jam ostensum *in notis ad thesin 4.* Posteriorem differentiam quod attinet, de ea vide Seldenum *de J. N. & Gent l. 5. c. 7. p. 593. seq. de U. E. lib. 2. c. 9. & de succes. in bona defuncti c. 3. p. 9.*

k) De concubinarum primi generis liberis late id probat Seldenus *d. cap. 3. p. 9. seq.* quamvis *p. 11.* dissentientes ex Christianis scriptoribus adducat, quibus tamen *ibid.* perspicue respondet. De concubinarum secundi generis, scilicet ancillarum & extranearum liberis idem agit *p. 15. seq.* perplexe tamen loquitur, sic ut nescias, utrum putet, Jephtham a fratribus juste ab hereditate paterna exclusum esse nec ne. Clericus ad illum de Jephtha locum Judic. XI, v. 2. videtur equidem a nobis dissentire, dum sic loquitur. *Revera alienæ* (i. e. Ethnicæ) *mulieris minime solenni ritu ductæ liberi non poterant hereditatem cum aliis ex legitima susceptis adire, nisi aliter patri visum esset.* Cui loco si jungas eum, quem jam supra *ad thesin 3. in fine* descripsimus, patet, Clericum id velle; ante legem natos ex concubina successisse patri, nisi pater nollet, post legem non successisse, nisi pater vellet. Verum uti posterior assertio intuitu natorum ex concubinis primi generis haud dubie erronea est; ita & intuitu natorum ex concubinis secundi generis non probatur nisi forte ex doctrina quorundam Rabbinorum, quorum tamen autoritati alias Clericus parum tribuit. Unde si ea quæ scriptura de Jephtha tradit, expendas verosimilius videtur, cum injuste e fratribus ab hereditate paterna esse exclusum. Ut taceam, nullam apparere rationem diversitatis, cur nati ex incestuoso concubitu mamzeres succederent parentibus, etiam

post

post legem Mosaicam, nati vero ex concubinis extraneis non succederent. Conf. jam notata *ad th. 5. lit. g.*

l) Conf. jam dicta *ad. th. 5. lit. f.* Quæ vero apud Seldenum *de J. N. & G. lib. 5. c. 12. & de U. E. lib. 1. c. ult.* de coitu illicito pœnis variis multarum, verberum &c. notata leguntur, videntur pertinere ad mores Judaicos subsequentium temporum, videlicet post Synedrium institutum. Conf. modo dicta *lit. b.*

§. VII.

In specie intuitu libertatis dimittendi concubinas.

Quod vero pristinam libertatem dimittendi concubinam viris indultam attinet, videtur verosimilius, nec hanc per legem Mosaicam fuisse restrictam, aut ad solennitatem dandi libelli repudii adstrictam.

Repete modo annotata *ad th. præced. lit. d.* Ratio assertionis nostræ in eo consistit. Etsi Moses diserte dicat, non dimittendam esse uxorem nisi dato libello repudii, & jam supra notaverimus *ad th. 3. lit. d. & ad th. præced. lit h.* concubinas etiam dictas esse uxores i. e. secundarias; cum tamen in dubio termino analogo absolute posito regulariter intelligatur species nobilissima, tamdiu verosimilis erit assertio, in lege Mosaica de dando uxoribus libello repudii, per uxores intelligi uxores justas non concubinas, donec justis rationibus probetur contrarium.

§. VIII.

Concubinatus omnis an a Christo & Apostolis prohibitus.

De sententiis Rabbinorum circa licentiam aut prohibitionem sub tempore Synedrii hic non erimus solliciti, (a) saltem videamus, an concubinatus omnis (b) a Christo vel Apostolis fuerit prohibitus. Non arbritamur, neque enim prohibitonem hanc probant rationes & textus ab aliis eum in finem adducti. (c)

a) Ob rationes jam supra *ad th. 3. lit. a.* expositas.

b) Dico omnis. Unde jam non disputabimus de concubinatu secundi generis cum fœmina, cujus matrimonium erat prohibitum, sed ad scopum nostrum sufficit, si probaverimus, saltem concubinatum primi generis scilicet cum illa, quæ justa uxor esse poterat, non esse prohibitum.

c) Sic

c) Sic Havemannus *Gamol. Synopt. lib. 2. §. ult. p. 380. Concubinatus non est conjugium. Hoc dum tantum a Deo est institutum omnes reliquæ commixtiones extra matrimonium sunt prohibitæ & damnatæ.* Genes. II, 23. Matth. XIX, 5. 6. 1. Cor. VI, 13. 15. Hebr. XIII, 4. Hic vero quod rationem ab Havemanno adductam attinet, ea quidem videtur supponere regulam communem; *institutionem divinam habere vim legis*, quam si sano sensu exponas, uti non negamus, ita tamen communem ut vulgarem ejus explicationem, unde Havemannus illam illationem, qua utitur, deduxit, pertinere ad arcana politica Papatus jam notavit Dn. Præses in *Cautelis circa præcognita jurispr. Eccles. cap. 5. n. 13.* Loca scripturæ quod concernit, textus Genes. II, 23. probat saltem, matrimonium a Deo esse institutum, quod nemo negat. Locus Matth. XIX, 5. 6. agit de divortio justæ uxoris. Textus Paulini 1. Cor. VI, 13. 15. & Hebr. XIII, 4. loquuntur de scortatione prohibita. At concubinatum primi generis non fuisse speciem scortationis hactenus ostendimus, & agnoscit ipse Havemannus *d. l. n. 2. p. 377. seq.* Conf. Huberum *in prælect. ad instit. de publ. judic. §. 5.*

§. IX.

Concubinatus jure gentium licitus.

Uti vero hactenus dicta monstrant, nec Mosen nec Apostolis credidisse, concubinatum seu conjunctionem arctiorem domesticam cum fœmina sine affectu maritali, esse rem in se, & nisi aliæ quædam peculiares circumstantiæ accederent, illicitam, turpem, dictamini rectæ rationis aut legi forte alii divinæ universali adversam; ita etiam apud alias gentes similis persuasio de licentia concubinatus obtinuit.

H. e. Etsi apud alias etiam gentes tam orientales quam occidentales, semper differentia quædam inter matrimonium & concubinatum, justam uxorem & concubinam, filios legitimos & nothos fuerit, non tamen usquam legitur, quod antiquitus apud ullas gentes concubinatus pro actu turpi aut scortationis specie fuerit habitus. Negativam probare non est nostrum, sed incumbit dissentientibus probare affirmativam.

§. X.

Item & apud Græcos.

Ut saltem duobus verbis de Græcis memoremus, & apud hos concubinatus fuisse pro licitis habitos, & scortationibus fuisse oppositos, ex eleganti Demosthenis loco videri id potest, ex quo simul patet, concubinatum etiam apud hos a matrimonio justo discrepasse potissimum dignitate & proposito.

Demosthenes orat. contra Neæram: *Meretrices* (ἑταίρας, amicas) *enim gratia voluptatis* (ἡδονῆς, libidinis) *habemus, concubinas* (πάλλακας pellices) *ad quotidianam corporis curam* (vel ancillis, curæ huic inservientibus tanquam concubinis utendo, vel etiam concubinatu utendo, tanquam remedio ustionis ad evitandos morbos ex nimia castitate oriundos, item ad evitandam libidinem vagam, non intendendo quidem primario generationem sobolis, sed tamen eam non impediendo, adeoque non libidinis causa) *uxores vero, ut liberos legitimos gignamus* (τῦ παιδοποιεῖσθαι, γνησίως, cum ex concubinatu non nascerentur liberi legitimi, sed nothi seu naturales, non illegitimi aut spurii) *& rei domesticæ fidam custodem præficiamus,* (de dignitate mariti participantem & omnis vitæ consortem) Scilicet in concubitu cum meretrice vult esse propositum libidinis explendæ, regulariter procreationem sobolis impediens, cum concubina propositum vitandæ scortationis absque tamen affectione maritali, & citra intentionem concubinam retinendi, cum uxore insuper propositum participandi utramque fortunam, & sine justa causa eam non dimittendi &c. Huc pertinet etiam Musonii doctrina in libro *de scopo nuptiarum* apud Stobæum *Sermone 68. Vitæ ac generationis liberorum communionem caput esse nuptiarum dicebat. Siquidem sponsum & sponsam hoc nomine inter se conversari oportet, ut simul & vivant, & una liberos gignant, & omnia existiment communia, nihil vero proprium ne corpus quidem suum. Permagni enim facienda est hominis generatio, quæ tali conjugio producitur. Verum hæc* (sobolis procreatio) *non satis est ad nuptias, cum*

& ali-

& aliter ipſis (viro & fœminæ) *citra nuptias conjunctis* (in concubinatu) *fieri* (ibidem) *poſſet. Sed omnino communis vita in matrimonio requiritur, & mutua viri uxorisque cura alterius pro altero, tum in ſecunda tum adverſa valetudine, denique omni tempore. Hujusmodi curam & procreationem liberorum unusquisque deſiderans nuptias contrahit.*

§. XI.

Romanorum ſententia de concubinatu ante Chriſtianiſmum, intuitu provincialium, libertarum, ancillarum.

Pergamus ad Romanos. Horum ante Chriſtianiſmum ſuſceptum de concubinatu hæc fuit ſententia. Cum ſenator non poſſet libertinam ducere, eamve, cujus pater materve artem ludicram fecerit, (a) nec Præſes provincialem, (b) nec civis Romanus ancillam uxorem habere poſſet, (c) permiſſus tamen iis erat concubinatus cum libertina provinciali, ancilla. (d) Imo etſi patronis in genere non erat prohibitum ducere libertas, honeſtius tamen erat patrono libertam concubinam, quam matrem familias habere. (e)

a) *l.* 44. §. 1. *de ritu nupt.*

b) *l.* 38. & 57. *eod.*

c) *pr. Inſt. de nupt junct. l.* 32. *de R. I.*

d) De ſenatoribus quidem nulla, quod meminerim, lex extat in Pandectis: videtur tamen id aſſerendum, partim, quod patroni in genere potuerint libertarum concubinatu uti, partim argumento *l.* 1. *C. de nat. liber.* De concubinatu vero præſidis cum provinciali eſt *l. ult. de concub.* De concubinatu ancillarum nullum eſt dubium: *arg. l.* 24. *ff. de R. N.* junctа *l.* 1. *C. de Nat. lib.* Et clarius *l. penult. de reb. aut. judic. poſſid. l. denique* 8. *ff. de pignor. l. ult. C. comm. de manumiſſ.*

e) *l.* 1. *pr. de concubinis.* Verba legis clara ſunt, ut neſciam, quid in mentem venerit Dionyſio Gothofredo, ut in notis ad eam ea plane in alienum ſenſum verteret, ac ſi JCtus dicere voluerit *honeſtius eſſe patrono, ut liberta alteri ſit concubina, quam uxor.*

uxor. Interim verosimile est, Gothofredum non perspexisse rationem connexionis verborum legis allatorum cum casu ibidem formato, uti & alii difficultatem in hac lege agnoscunt. Vid. Schardius *in Lexico voce concubina*, qui dicit, quosdam priorem illius legis partem pro adulterina habere. Nobis sufficit, rationem assertionis haud dubie desumendum esse ex argumento ab interdicto senatori matrimonio libertinæ petito. Cæterum non putarem, assertionem illam cum ab Ulpiano *in d. pr. l. 1. verbis initialibus* proposito pugnare, ubi quæstio tractatur, an concubina recte a patrono invito recedere possit, modo cum hac lege jungas, quæ Ulpianus alibi *l. 11. de divortiis & l. 3. pr. de adulteriis*, item Marcellus *l. 41. de ritu nupt.* differit. Sed ista quidem prolixius ostendere nostri instituti non est, ob ea, quæ supra §. 2. *lit. a.* jam notavimus. Interim ex *d. l. 11. de divort.* etiam probatur, patronis cum libertis interdum justum etiam matrimonium intercessisse, etsi facilius solvendum, quam in aliis matrimoniis fieri solebat. Conf. Schard. *in Lexico voc. concubina.* Per furorem tamen patroni concubinatus cum liberta non tollebatur. Paulus *l. 2. de concubinis.* Cujus assertionis rationem etsi Dionysius Gothofredus *in notis ibid.* quærat in eo, quod nec matrimonium solvatur furore mariti, puto tamen magis respexisse ad ea, quæ Ulpianus *in l. 11. circa finem de divortiis* differit, atque voluisse tradere limitationem ibi ab Ulpiano dictorum.

§. XII.

Intuitu ingenuarum. Cæterum uti cum libertis alienis etiam erat concubinatus, (a) modo is non fieret invitis patronis, (b) ita quod ingenuas attinet, licitum saltem cum iis erat matrimonium, non concubinatus, nisi essent in obscuro loco natæ, vel quæstum corpore fecerint, vel adulterii damnatæ essent, vel quis expressa testatione hoc manifestum fecerit, quod eas concubinarum loco habere velit, alias ejusmodi cohabitationes pro stupris habebantur. (c) Quod tamen hanc ultimam asser-

assertionem attinet, verius videtur, (d) in dubio hic pro matrimonio esse præsumendum, (e) & huc respexisse videtur Paulus, dum ait, concubinam ex sola animi destinatione æstimandam. (f)

a) *l. 3. pr. de concub.*

b) Per modo notata ad *th. præced. lit. e.*

c) Ulp. *l. 1. §. 2.* Marcianus *l. 3. pr. de concub.* Unde & Ulpianus *d. l. 1. §. 1.* notat, *solas eas in concubinatu haberi posse absque metu criminis, in quas stuprum non committitur.*

d) Igitur puto hic antinomiam contineri. Marcianus *d. l. 3. pr. de concub.* putat, eum qui cum ingenua, honeste vivente, cohabitet, & non diserte testetur, quod ea velit tanquam concubina uti, habendum esse pro stupratore. Contra Modestinus & Papinianus in locis statim adducendis, docent, in dubio talem non pro stuprata, se pro uxore habendam.

e) Modestinus *l. 24. de R. N. In libera mulieris consuetudine non concubinatus sed nuptiæ intelligendæ sunt, si non corpore quæstum fecerit.* Papinianus *l. 31. pr. de donat. An maritalis honor vel affectio* (aut an concubinatus) *præcesserit, personis comparatis, vitæ conjunctione considerata perpendendum esse respondi, neque enim tabulas facere matrimonium.* Ubi vides, rationem non in eo esse quærendam, uti quidam volunt, quod in dubio actus magis pro licito quam illicito sit præsumendus, sed aliunde petendam esse. Scilicet, ut puto, ab illo generi matrimonii, quod *usu* fieri olim dicebatur, & aliis duobus generibus, per *confarreationem & coemtionem* opponebatur, sed de quibus hic non est locus prolixius differendi. Sed hic novam crucem interpretibus fixit Papinianus, an Tribonianus *in l. 16. §. 1. de his, quæ ut indignis*, quæ lex ab omnibus lecta, sed ob obscuritatem nescio an ab ullo intellecta fuerit, ut facile patet, si quis saltem Dion. Gothofredi notas & Antonii Fabri ibidem citatas lucubrationes evolvat.

f) *l. 4. de concub.* Id est abstrahendo a circumstantiis specialibus. nec simpliciter præsumendum esse pro matrimonio usu contracto, si v. g. mulier illa dubiæ conditionis corpore quæstum

feciſſet, aut adulterii damnata, aut obſcuræ conditionis eſſet, niſi forte ab eo qui conſuetudine ipſius uſus eſſet, non honore pleno dilecta eſſet, ut loquitur Papinianus, *d. l. 16. §. 1.* ſed pro amica ſaltem habita &c.

§. XIII.

Concubinatus illicitus ſi quis jam uxorem habeat.

Cæterum an Romanis nondum ad Chriſtianiſmum converſis etiam licitus fuerit concubinatus, ſi jam uxores haberent, valde diſputatur. (a) Mihi negativa videtur veroſimilior. (b)

a) Vide Wiſſenbachium *ad tit. Cod. de Concubin.* Huberum *ad ff. de concub.* Schard. *in Lex. voc. concubina.*

b) 1) ob textum *Pauli l. 2. recept. ſentent. tit. 20. Eo tempore quo quis uxorem habet, concubinam habere non poteſt.* Saltem dubium injiciunt verba ſtatim ſequentia. *Concubina IGITUR ab uxore ſolo DELICTO ſeparatur.* Etſi enim pro *delicto* legas *delectu*, & hanc emendationem defendas ex alio Pauli loco modo adducto *l. 4. de Concub.* manet tamen dubium in voce *igitur*, cum etiam admiſſa hac emendatione nulla videatur horum verborum cum præcedentibus eſſe connexio. Sed quicquid tamen hujus ſit, Schardii correctio, in priore aſſertione vocem *non* expungentis, haud dubie eſt violentior, ob jam dicenda. 2) Probatur argum. *l. 121. §. 1. de V. O.* ubi *boni mores* vocantur, ſi quis uxori concubinam non ſuperinducat, conf. Dion. Gothofr. *ibid.* 3) Argumento *d. l. u. de divortiis in fine* verbis, *etſi concubinam ſibi adhibuerit.* 4) Spectat etiam huc lex Pauli 144. *de V. S. Libro memoralium Maſſurius ſcribit, pellicem apud antiquos eam habitam, quæ cum uxor non eſſet, cum aliquo tamen vivebat, quam nunc vero nomine amicam, paulo honeſtiore concubinam appellari. Granius Flaccus in libro de jure Papiniano ſcribit, pellicem nunc vulgo vocari, quæ cum eo, cui uxor ſit, corpus miſceat, quosdam,* (legendum *quondam*, ut jam Pacius emendavit) *eam, quæ uxoris loco ſine nuptiis in domo ſit, quam παλλακὴν Græci vocant.* Non obſt. *l. 3. §. 1. de concub. Nec adulterium per concubinatum ab ipſo* (viro) *committitur. Nam quia concubinatus per leges nomen aſſumſit, extra*

extra legis pœnam est. Casus hic, inquiunt dissentientes, non potest nisi de viro uxorem habente intelligi. Ego contra; si de viro uxorem habente intelligatur, erit quæstio Domitiana, quia vir uxorem habens, cum soluta jure divino pariter & Romano non committit adulterium, ut partim ex supra dictis, partim ex mox dicendis patet. Ergo vero simile est, per adulterium in hoc loco intelligi *stuprum* argumento *l. 6. §. 1. de adult. l. 101. de V. S.* adeoque frustra hanc responsionem a Wissenbachio adductam ad argutias refert Huberus. Interim illud ex hactenus dictis liquet, concubinatum viri uxorem habentis fuisse quidem illis temporibus pro turpi & vitioso habitum, etsi impunem, si v. g. ancilla quis aut libertina, aut ingenua corpore quæstum faciente, ut concubina uteretur, concubinatum autem soluti cæteris paribus fuisse honestum & intrinsece licitum, ut statim videbimus.

§. XIV.

Differentia concubinæ ab uxore justa præcipua.

Quæ igitur de concubinatus Romani & justi matrimonii differentiis jam alia notarunt, non repetemus. (a) Ad nostrum scopum pertinet illas differentias notasse. Concubina, non pro adultera habetur, nec pro stuprata, (b) nec pro meretrice, (c) sed pro ea, quæ uxoris loco interim esset, (d) & dignitate saltem ab uxore differret, (e) atque pro lubitu & sine ulla solennitate dimitti posset, & divertere a viro, nisi patronus esset. (f) Liberi vero, ex concubina nati, non succedebant patri, quia non erant in potestate, poterant tamen iis a patre legata relinqui, imo poterant heredes instituti. (g)

a) Vid. Schardius *voce concubina.*

b) Per *l. 6. §. 1. l. 34. §. 1. ad L. Jul. de adult. l. 101. de V. S.* inter quos textus nulla est contradictio, secus ac arbitratur Schardius *d. l.* Adde Huberum *ad Instituta de publ. judic. §. 5. & ad ff. de adult. §. 1. & 2.* ubi refutat dissentientem Carpzovium.

c) Quia concubina & meretrix, seu ea, quæ corpore quæstum facit, sibi

sibi opponuntur, *l. 24. de Ritu nupt. l. 3. pr. de concub.* Adde Dion. Gothofr. *in not. ad Nov. 91. Leonis lit. i.*

d) Unde & monebant Jureconsulti, incestum vitandum in concubinatu *l. 1. §. 3. de connub.* Imo & adulterium committebatur in concubinam, si modo talis fuerit, quæ in concubinatum se dando matronæ nomen non amiserit, utpote quæ patroni concubina fuerit *l. 13. pr. ad L. J. de adult.* conf. Cujac. *l. 3. Obs. 18.*

e) *l. 49. §. 4. de legatis 3.*

f) Argumento *l. 11. de divort. l. 1. pr. de concub.*

g) Vide plures textus citatos a Wissenbachio *in comment. ad. l. 2. 3. 4. C. de natur. lib.*

§. XV.

Concubinatur Romani honestas in comparatione ad concubinatum Hebræorum.

Erat igitur tum temporis concubinatus Romanorum etsi Ethnicorum, æque licitus & honestus, (a) ac concubinatus Hebræorum, imo eo intuitu honestior, quod turpe apud Romanos haberetur, uxori concubinam superinducere, (b) quod apud Hebræos turpe non erat. (c)

a) Unde concubinatus dicitur per leges nomen assumsisse *l. 3. §. 1. de concub.* ubi adde Gothofr.

b) Repete dicta §. 13.

c) *Vide supra §. 1.*

§. XVI.

Respondetur objectionibus quasi concubina sit nomen voluptatis.

Neque obstat hactenus dictis, (a) quod quidam asserunt, etiam a Gentilibus turpitudinem concubinatus fuisse agnitam, a Græcis pariter & Romanis provocantes ad proverbium philosophorum: Uxorem esse nomen dignitatis, mulierem voluptatis, & ad Julium Capitolinum, in vita Hadriani memorantem, quod Hadrianus dixerit, uxorem esse nomen dignitatis, concubinam vero nomen voluptatis. (b) Præterquam enim quod ea, quæ hic de philosophorum proverbio

proverbio (c) & dicto Hadriani (d) allegantur, aperte falsa sint, inspectio scriptorum variorum, vitas Imperatorum secundi & tertii seculi describentium, docet, Ælii Veri dictum, sed insigniter corruptum, occasionem huic errori dedisse, (e) aut forte commentationem Casauboni ad idem dictum, (f) quamvis, si paulo penitius inspiciatur, ea magis probet doctrinam hactenus traditam de honestate coucubinatus, quam ejus turpitudinem. (g)

a) Ingenui disputatoris est non solum probare thesin, sed etiam respondere ad argumenta dissentientium. Si plures objectiones reperissemus, etiam illas adduxissemus.

b) Bruckner. *decis. jur. matrim. cap. 3. n. 17.* quod in hoc autore eo magis mirandum, quia agnovit, & latius probavit *eod. cap. 13. & seq. cap. 14.* polygamiam unius viri cum pluribus fœminis nec jure divino naturali, nec positivo repugnare; de qua tamen erant majores rationes dubitandi, quam de concubinatu.

c) Nam 1) quæso, quinam sunt illi philosophi, qui dixerunt, *uxorem esse nomen dignitatis, mulierum voluptatis.* Cur nemo allegatur: 2) Suspectum est illud dictum, nam dignitas & voluptas sibi inepte opponuntur. Dignitati opponitur vilitas, vel carentia dignitatis, & voluptati studium gignendæ sobolis. Ergo tantum abest, ut illud dictum philosophorum esse possit, ut potius nonnisi ab illis potuerit esse inventum, qui omni judicio philosophico destituuntur. 3) Inepta pariter hic est oppositio uxoris & mulieris, quasi mulier vel γυνὴ, vel apud Græcos, vel apud Latinos in specie concubinam denotaverit, & non utrobique sit nomen generis, uxorem etiam sub se comprehendens, & sæpius, (non semper) simpliciter positum, uxorem tanquam analogatum nobilissimum denotans. 4) Contrarium docet dictum Demosthenis *supra* §. 20. adductum & expositum. Ergo si ad hoc forte respexerunt dissentientes, non laudabiliter oratorem cum philosopho confuderunt,

majori vituperio digni, quod dictum Demosthenis corruperunt, & in alienum plane sensum detorserunt.

d) Nam 1) Julius Capitolinus non scripsit vitam Hadriani, sed Ælius Spartianus. 2) In tota vita Hadriani nihil ea de re extat. 3) Nec præsumendum etiam est de Hadriano, quod tale quid dixerit, cum scilicet ipse & adultorum amore ac nuptarum adulteriis laboravit, ne amicis quidem servans fidem, (Spartianus *cap. 11.*) & Antonium suum muliebriter flens. (Idem *c. 14.*) 4) Putavi quidem initio, erratum fuisse in nomine Imperatoris, & cum Julius Capitolinus scripserit vitam Antonini philosophi, hic aliquid de dicto allato me reperturum. Sed & ibi ea de re nihil, potius in fine argumentum novum pro sententia nostra inveni. *Enisa est*, inquit Capitolinus, *Fabia, ut Faustina mortua in ejus matrimonium coiret, sed ille concubinam sibi adscivit procuratoris uxoris sua familiam, ne tot liberis superduceret novercam.* Et honestum concubinatus finem, minime voluptatis aut libidinis extinctionem, sobolis generationi oppositam.

e) Tandem post tædiosam, & diutius ex studio veritatis continuatam inquisitionem, invenio, autores hujus dicterii insigniter corrupisse dictum Ælii Veri, de quo sequentia refert Ælius Spartianus *cap. 5. Idem uxori conquerenti de EXTRANEIS VOLUPTATIBUS, dixisse fertur. Patere me per alias exercere cupiditates meas. Uxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis.* Vides hic de extraneis voluptatibus sermonem esse, non de *concubina* vel *pellice*. Et tamen Verus dixit, concubinam esse voluptatis nomen. Quid dicturi essent adversarii, si nos tali fide adduceremus autores. Credo eos gravi cum Zelo nos male & pessima fidei accusaturos esse. Nos contra absque affectu illorum pias fraudes, ut mollissime loquamur, saltem placide ostendimus, & excusandi causas suppeditamus.

f) Ita enim Casaubonus *p. m. 101. Tria sunt conjunctionis hujus nomina - - uxor, pellex, amica. Horum unicum est nomen dignitatis, uxor, reliqua sunt nomina voluptatis.* Sed hæc Casau-

ſauboni aſſertio reſponſionem capiet ex modo notatis *lit. c.* Imo ipſe ſtatim quoad concubinam ſe corrigit.

g) Ita enim continuat; *ſed cum aliquo tamen diſcrimine. Nam honeſtior eſt pellex, ut quæ accedat propius ad uxoris naturam. Eſt enim* παλλακὴ *Pilegeſch Hebræorum, quaſi legitime conjugis dimidium, & ut dicunt ipſi, Pilegiſcha. Balſamon conciliorum interpres.* Παλλακὴ δέ ἐϛιν ἡ νομίμως τινὶ συζῶσα χωρὶς γάμε &c.

§. XVII.

Duraſſe opinionem de honeſtate concubinatus etiam apud Chriſtianos Imperatores usque ad Leonem philoſophum

Neque alia mens fuit Imperatorum Chriſtianorum a Conſtantino Magno, usque ad Juſtinianum. (a) Nam & ſub his concubinatus unius cum una nec pro ſcortatione aut actu alio libidinoſo, ſed pro licito ac honeſto fuit habitus. (b) Donec Imperator Leo concubinatum prohiberet, (c) jure quidem ſuo, (d) ſed rationibus tamen ejusmodi, quæ parum perſuaderent, concubinatum in ſe eſſe ſtatum turpem & illicitum. (e)

a) Volebam equidem conſtitutiones omnes Imperatorum Chriſtianorum ex utroque codice, (Theodoſiano & Juſtinianeo repetitæ prælectionis) & Novellis, quæ de concubinis & naturalibus liberis agerent, pariter in ordinem redigere, earumque hiſtoriam tradere, ſed, cum & hic labor excederet ſcopum ab initio præfixum, & iſtæ leges maximam partem de naturalium liberorum ſucceſſionibus ac legitimationibus agerent, adeoque ad præſens negotium non multum conducerent, ſufficiet hoc loco, monſtraſſe ſaltem doctrinam Imperatorum Chriſtianorum de licentia concubinatus. Initio Conſtantinus M. cujus eſt *lex unica C. de concub.* Concubinatum in genere non damnavit, ſed ſaltem prohibuit concubinatum conſtante matrimonio. A Conſtantino usque ad Juſtinianum non deprehendimus, ullum Imperatorem concubinatum habuiſſe pro ſpecie ſcortationis, Juſtinianum quod attinet, jam notavit Gothofredus *ad l. 3. §. 1. de concub.* vocari concubinatum ab

eo licitam (seu legitimam) consuetudinem *l. 5. C. ad SCt. Orphitianum* (quæ lex Justiniani est) sed & semi-matrimonium & conjugium inæquale in *l. 3. eod.* Quamvis autem *d. l. 3.* nec Justiniani sit, nec de concubinatu quicquam in ea extet, non dubito tamen, quin Gothofredus aliam legem Justiniani habuerit pro oculis, & saltem in citatione erraverit. Confer modo notata *ad th. 16. lit. g.* Pergit Gothofredus, concubinam appellari vice conjugem in antiquis inscriptionibus & in Novella *18. cap. 5.* Justinianum dicere, quod concubina uxorem imitetur. Etsi autem nec id diserte ibi dicat imperator, argumento tamen illo Gothofredus ex *d. c. 5.* usus est, quod Justinianus ibidem ab uxore ad concubinam inferat, & in verbis *sicut enim* statuat, quod sicut quis legitimæ uxori alias superinducere non possit, sic nec concubinæ. Addo, quod ex verbis inox sequentibus, (*& nos non præbemus luxuriantibus, sed caste viventibus legem*) perspicue appareat. Imperatorem eum, qui concubinas plures habeat, ad luxuriantium, contra eum, qui una concubina contentus sit, ad caste viventium classem retulisse, adeoque concubinatum unius cum una nequaquam pro statu libidinoso habuisse. Et quid verbis multis opus est. Ipse Imperator Leo, dum *in Novella 91.* dicit præcedentium Legislatorum constitutiones se abrogare velle, eo ipso fatetur, ante hanc ejus Novellam concubinatum pro licito a præcedentibus Imperatoribus fuisse habitum.

c) *d. Nov. 91.* Vixit autem Imperator Leo philosophus, cujus est hæc Novella, plus trecentis triginta post Justinianum annis. Alb. Gent. *de Nuptiis l. 1. c. 6.*

d) Partim quod in arbitrio principis sit, actus etiam jure naturali licitos & indifferentes, (qualem concubinatum unius cum una fuisse hactenus ostendimus,) pro utilitate reipublicæ prohibere, & tales prohibitiones haud dubie subditos in conscientia obligant; partim quod multæ circumstantiæ, quæ præcedentibus temporibus, concubinatus usum suadebant, seculo Leonis cessarent. Ita v. g. Leonis tempore & provinciales magistratus

ſtratus provincialem fœminam & ſenatores libertinam, & liber homo ancillam propriam matrimonio ſibi jungere poterat &c. Et ita intelligimus verba finalia *d. Nov. 91. Cæterum vitæ conſortem invenire difficile non eſt.*

e) Saltem recitabimus verba Leonis. Theſis ejus eſt: *concubinatus religioni & naturæ adverſatur ſecundum divina Chriſtianosque convenientia præcepta.* Probatio theſeos ſequens. *Et quidem ſi, cum fontem habeas ſobrie inde haurire divino jure moneare; qua ratione, cum puras aquas haurire liceat, lutum tu mavis. Tum tametſi fontem tu non habeas, rebus tamen vetitis uti non potes.* Hic apparet, concubinatum cum luto & rebus vetitis comparari quidem, ſed eam aſſertionem non probari, ſed præſupponi, adeoque in probatione theſeos committi petitionem principii. Liceat tamen hoc loco obiter quærere. Cur illi, quibus Leo in componenda hac Novella uſus eſt, non adduxerint argumentum ex dicto Paulino *1. Cor. VII, 2. Propter fornicationem ſuam quisque fœminam* (γυναῖκα) *habeat* &c. An tum temporis nondum ex illo loco argumentum adverſus concubinatum fuit petitum? Et cur non? An quia ſentiebant, eum non obſtare concubinatus unius cum una, cum & ibi *unus ſuam fœminam* habeat? (Hieronymus *Epiſt. ad Oceanum. Tom. 2. Epiſt. p. m. 312. Vide ne hoc, quod dicitur unius uxoris virum, unius mulieris poſſit intelligi, ut ad coitum magis referatur, quam ad dotales tabulas.*) An ob alias rationes. Sane id non omittendum videtur, quod in toto novo teſtamento concubinæ παλλακῆς mentio non fiat, cum tamen Apoſtoli ſæpius ſcortationis, adulterii, concubitus ſodomitici, mentionem fecerint diſtinctam & Apoſtolus in recenſendis operibus carnis Gal. V, 19. adulterium, ſcortationem, impuritatem diſtincte memoret. An dicemus, ſub ſcortationis voce concubinatum comprehendi? At illo tempore illa ſcortationis extenſio nondum erat recepta, ſed hæc extenſio poſt aliquot ſecula demum orta. An non opus erat, ut concubinatus diſtincta fieret mentio? At quis ad hanc rationem confugeret, cum tamen nullum ſit dubium, concubi-

natum & apud Romanos & Græcos fuisse si non frequentissimum, saltem non infrequentem? An denique, quod ex regulis prudentiæ Ecclesiasticæ Apostolus ejus mentionem omiserit, ne videretur, aut penitus eum improbare, si non libidinis causa susciperetur, aut approbare, cum sæpius sub concubinatus specie per abusum palliaretur libido? Nihil determino, sed informationem, solidam tamen & solo autoritatis humanæ præjudicio non subnixam, modeste peto ab eruditoribus. Cæterum ut ad Leonem redeam, ab hoc quidem Imperatore non expectanda erat justa ac prudens eorum, quæ ab Antecessoribus constituta erant, correctio, per ea quæ latius ostendit Albericus Gentilis *de nuptiis lib. 1. cap. 6.* & Annæus Robertus *rerum judic. lib. 2. cap. 17. p. 711. seq.*

§. XIIX.

Occasio, qua inceptum fuerit, concubinatum habere pro scortatione. Auctoritas Patrum Ecclesiæ.

Cum igitur concubinatus & ante nativitatem Christi, ab Hebræis, Græcis, Romanis, & post nativitatem Christi, sub Christianis etiam Imperatoribus, usque ad tempora Leonis Philosophi per integra novum secula (a) pro statu honesto & licito fuerit habitus, jam paucis ostendendum, qua occasione factum fuerit, ut concubinatus etiam unius cum una pro scortationis specie postea habitus fuerit. Ubi nullum est dubium, autoritatem Patrum Ecclesiæ pro ratione illorum temporum parum in Philosophia morali versatorum (b), & imprimis Ambrosii, Hieronymi, Augustini prima hujus opinionis fundamenta jecisse.

a) Nam Leo Philosophus regnavit circa finem seculi noni.

b) Hanc assertionem perspicue probavit Clarissimus Barbeyracus *in præfatione ad versionem librorum Pufendorffii de J. N. & G.*

§. XIX.

Imprimis Ambrosii.

Et Ambrosium quidem quod attinet, cum conceptum adulterii forte (a) extenderit ad omnem concubitum extra legitimam conjugem, (b) & ideo non potuerit de concu-

concubinatu bene sentire, (c) cœpit etiam contra hunc differere, (d) sed ab Ambrosio quidem non expectanda erat solida doctrina morum, utpote qui alibi adulterium ante Mosen & Evangelium non fuisse prohibitum asserit. (e)

a) Dubitanter loquor, quia etsi in jure Canonico non deprehenderim alium Patrem Ecclesiæ ante Ambrosium, qui adulterii hunc novum conceptum formaverit, cum tamen non licuerit ob temporis penuriam Patres Ecclesiæ præcedentes Ambrosium evolvere, hic nihil determinare volui. Interim dum Lactantium evolvo, video hunc modo præviisse Ambrosio, dum *libro 6. divin. instit. c. 23.* sic scribit: *Non enim sicut juris publici* (Romani) *ratio est, sola mulier adultera est, quæ habet alium, maritus autem etiamsi plures habeat a crimine adulterii solutus est. Sed divina lex* (utique non Mosaica, per dicta superius §. 5. & 6.) *ita duos in matrimonium, quod est in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur, quisquis compagem corporis in diversa distraxerit.* Quam sententiam postea etiam repetiit Ambrosius, ut statim videbimus. Interim tamen Lactentius adulterii conceptum non porrexit ad quemvis concubitum extra legitimam conjugem.

b) Ambrosius Lib. I. de Abrahamo, unde desumtus *can. 4. C. 32. qu. 4. Neque blandiatur sibi de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem a viro, quæ ab uxore debetur castimonia. Quicquid in ea quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii nomine damnatur.*

c) Quia concubinatus est concubitus cum ea, quæ non est legitima uxor. Et quod hic non solum de viro, qui uxorem habet, cum Lactantio loquatur Ambrosius, patet ex verbis: *omne stuprum adulterium est.*

d) Ambrosius *in sermone de S. Johanne* relato *in can. 9. d. q. 4. Dicat aliquis; uxorem non habeo, ideo ancillam mihi sociavi,* (qua ut concubina utor.) *Audi quid dicat scriptura ad Abrahamum: Ejice ancillam &c. Si igitur ancillæ filius hæres non est,*

est, ergo nec filius est, (quæ qualis quanta?) *Cur autem &c. quæritur tale contubernium, de quo nati non filii sunt matrimonii, sed testes sunt adulterii? Cur autem ejusmodi suscipiuntur adulteterini, qui patri pudori sint, non honori &c. Mulier igitur tua, si talibus moribus prædita est, ut mereatur consortium, mereatur & nomen uxoris. Præsta concubinæ tuæ libertatem & nomen uxoris, ne tu adulter sis potius quam maritus.*

c) Ambrosius *d. lib. 1. de Abrahamo. Consideremus primum, quia Abrahamus ante legem Mosis & Evangelium fuit, cum nondum interdictum adulterium videretur, pœna criminis ex tempore legis est.* Ut taceam, Ambrosium passim ita extollere virginitatem & cœlibatum, ut videatur conjugium considerasse ut statum parum honestum. Dallæus *de usu patr. p. 272.* Barbeyrac. *in præfatione citata 9.*

§. XX.

Hieronymi. Sed & Hieronymus, etsi diserte non condemnet concubinatum, (a) non tamen potuit favorabiliter de eo sentire, cum de ipso matrimonio passim contemptim loquatur. (b) Sed & hæc doctrina nævis Hieronymi annumeranda, excusandis forte, non defendendis. (c)

a) Hieronymus *in Epistola ad Eustochium Tom. I. Epist. f. m. 138. edit. Basil. 1537. Unde in Ecclesias Agapetarum pestis introiit? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? Imo unde novum concubinarum genus? Plus inferam. Unde meretrices univiræ? Eadem domo uno cubiculo, sæpe uno tenentur lectulo, & suspiciosos nos vocans si aliquid existimamus.* Nescias hic, an omnem concubinatum improbet, an vero saltem novum aliquod concubinarum genus. Nam omnem concubinatum non poterat novum conjunctionis genus dicere. Idem *in Epist. ad Oceanum d. T. 1. f. 198. Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. Apud illos viris impudicitiæ frenæ laxantur, & solo stupro atque adulterio condemnato passim per lupanaria & ancillas libido permit-*

mittitur, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos quod non licet fœminis, æque non licet fœminis, æque non licet viris. Conf. Alber. Gentil. *de nupt. lib. 1. c. 5. p. 25.* Hic quidem Hieronymus cum Lactantio adulterii conceptum extendit ad virum; non tamen diserte ad concubinatum. Idem *in alia Epistola ad Oceanum T. 2. p. 319. seq.* contra eos disputans, qui docuerant, eum qui ante baptismum uxorem habuerat, & post baptismum alteram priore mortua duxerat, non posse fieri Episcopum, elegantem instantiam dat de concubina *p. 321. Quæram & illud. Si quis & ante baptismum habuerit concubinam, & illa mortua baptizatus uxorem duxerit, utrum clericus fieri debeat, an non? Respondebis, posse fieri, quia concubinam habuerit, non uxorem, conjugales ergo tabulæ non coitus ab Apostolo condemnatur.* Subjungit statim. *Multos videmus, ob nimiam paupertatem uxorem sorcinam declinare & ancillas suas habere pro uxoribus* (in concubinatu) *susceptosque ex his liberos colere, ut proprios: qui si forte ditati ab Imperatore stolam ipsius meruerint, confestim Apostolo colla submittent & inviti inter uxores eas recipere cogentur. Sin autem principale rescriptum eadem tenuitas imperare non quieverit, cum Romanis legibus scitæ Ecclesiæ mutabantur!* Hic obscurior est Hieronymus, ut nescias, an concubinatum istum improbet, an toleret. Denique *ad cap. V. Epist. ad Ephes.* qui locus refertur *can. 2. C. 32. q. 2. Sicut non omnis congregatio hæreticorum, Christi ecclesia dici potest, nec caput eorum Christus, sit non omne matrimonium, quo non viro suo secundum præcepta Christi uxor jungitur, rite conjugium appellari potest, sed magis adulterium.* Hic equidem concubinatus non nominatur, sed tamen facile ista Hieronymi assertio ad concubinatum extendi poterit.

b) Vide Barbeyrac. *d. l.* Adde *cap. 4. C. 32. qu. 2.*

c) De his Hieronymi nævis vide Barbeyr. *d. l.* & ibi citatos. Conf. Dn. Præsid. *in cautel. circa præcogn. jurispr. Eccles. cap. 5. §. 7. & 8.*

§. XXI.

Potissimum vero Augustini.

Denique Augustinus sæpius concubinatum omnem condemnavit, (a) sed absque rationibus justis, (b) imo ipse fatetur, quod ex Decalogo probare nequeat, concubinatum esse speciem fornicationis, (c) & alibi rationem suppeditat, concubinatum defendendi. (d) Sed quam graviter ipse Augustinus in variis doctrinæ moralis capitibus erraverit, jam ab aliis ostensum satis. (e)

a) Augustinus *Serm. 243. de tempore* apud Dedekennum *Part. 3. l. 1. Sect. 3. n. 1.* concubinatum dicit gravius esse peccatum, quam adulterium, quia publice fiat, Idem *l. 5. Homil. 49.* unde desumtus *can. 6. dist. 34. Fornicari vobis non licet, sufficiant vobis uxores. Audiat Deus, si vos surdi estis, audiant angeli, si vos contemnitis, concubinas vobis habere non licet, etsi non habetis uxores, tamen non licet vobis habere concubinas, quas postea dimittatis & ducatis uxores tanto magis damnatio vocis erit, si volueritis habere uxores & concubinas.* Idem *de bono conjugali c. 14.* relato *in can. 5. C. 32. q. 2. Concubinæ ad tempus adhibitæ, nec, etiamsi causa filiorum concumbant, justum faciunt concubinatum suum.* Denique *ibid. c. 3.* & in jure Canonico *cap. seq. 6. d. q. 2. Solet quæri cum masculus & fœmina nec ille maritus nec illa uxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum, sed pro incontinentia solius concubitus causa copulantur, ea fide media, ut nec ille cum altera, nec illa cum altero id faciat, utrum nuptiæ sint vocandæ. Et potest quidem fortasse, non absurde hoc appellari connubium, si usque ad mortem alicujus eorum id inter eos placuerit, & prolis generationem, quamvis non ea causa conjuncti sint, non tamen vitaverint &c. Cæterum &c. si aliquam sibi vir ad tempus adhibuerit, donec aliam dignam vel honoribus vel facultatibus suis inveniat, quam semparem ducat, animo ipso ADULTER est, nec cum illa*

illa quam cupit invenire, sed cum illa, cum qua sic cubat, ut cum ea non habeat maritale consortium.

b) Nam primus locus ap. Dedekennum præsupponit concubinatum esse peccatum, non probat. Secundus *can. 6. dist. 34.* flosculis quidem oratoriis & exclamationibus *(audiat Deus, audiant angeli* &c.) utitur, nulla ratione. Quamvis illas exclamationes admiretur & commendet Gonzalez Tellez *ad capit. 20. de sponsal. & matrim. f. 45.* Tertius & quartus *c. 5. & 6. C. 32. q. 2.* pariter ne umbram quidem rationis alicujus ostentant, sed Augustinus quasi pro tribunali de simplici & plano pronunciat.

c) Momentum totius controversiæ in eo situm erat, utrum concubinatus unius cum una liberorum procreandorum causa initus, sed cum libertate dimittendi aut recedendi, sit status turpis & fornicationis species. Hoc debebat Augustinus adducta saltem vel minima ratione probare. Sed ut vidimus, nullam attulit. Quin potius *in Can. 11. caus. 32. q. 4.* (qui textus desumtus est *ex quæstionibus in Deuteron.*) ita loquitur: *Omnis mœchia etiam fornicatio dicitur in scripturis. Sed utrum etiam omnis fornicatio mœchia dici possit, non mihi interim occurrit locutionis exemplum. Sed si non omnis fornicatio etiam mœchia dici potest, ubi sit in Decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt viri, qui uxores non habent, cum fœminis quæ maritos non habent,* (quorsum etiam ex mente Augustini pertinet concubinatus) *utrum inveniri possit ignoro.* Habes Augustini confessionem. Jam vide, quomodo se ex hoc dubio expediat. *Sed si furti nomine bene intelligitur illicita usurpatio rei aliena, profecto & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus prohibitus debet intelligi.* Vides Augustinum redire ad punctum circuli, unde cœperat discurrere. Quæritur, an concubinatus sit prohibitus & turpis. Affirmatur, ratio, quia est fornicatio. Objectio, falsum hoc nec in sacris literis sub fornicatione comprehenditur. Resp. Imo comprehenditur, Instantia: Proba. Responsio, non possum quidem disertis verbis scripturæ probare, sufficit, quod sub forni-

catione intelligatur omnis concubitus illicitus, & adeo (en reditum ad punctum circuli) concubinatus.

d) De polygamia Patriarcharum ipsi a Fausto objecta respondet Augustinus *in cap. 7. C. 32. q. 4. Quod* (matrimonium polygamicum Jacobi) *quando mos erat, crimen non erat.* Cujus dicti alius sensus esse non potest, quam polygamiam non repugnare juri divino universali, sed ejus prohibitionem ad leges positivas easque particulares pertinere. Quod si ergo de polygamia sic sensit Augustinus, cur non majori ratione quis adversus ipsum de concubinatu urgere posset. *Concubinatum quando mos erat crimen non erat*, sed pro crimine demum post legem prohibentem habendus est.

e) Lege saltem Barbeyracum *d. l.* & obstupesce. Adde tamen *cautelas* Dn. Præsidis *d. c. 14. §. 9. 10. 11. inculcatas.*

§. XXII

Non tamen mox in Ecclesia ante Novellam Leonis recepta.

Sed fuerunt saltem hæ tum temporis privatæ opiniones horum Patrum, non in ecclesia communiter receptæ, haud dubie ob evidentem rationem justarum defectum. Quin potius adhuc post Ambrosii mortem in Ecclesia concubinatum pro statu licito ac honesto aut saltem non inhonesto fuisse habitum, docet canon concilii Toltani primi, (a) nequaquam de uxore justa absque pactis dotalibus ducta loquens, (b) & locus Isidori, (c) ut canones Pseudo Apostolicos (d) taceam. Nec verosimile est, ante Novellam illam Leonis concubinatum in aliquo concilio fuisse prohibitum, quia haud dubie locus ille hactenus fuisset ex tenebris in lucem protractus. (e)

a) Fuisse illud concilium circa finem seculi quarti, aut initium quinti, adeoque ante tempora Hieronymi & Augustini, sed post mortem Ambrosii habitum docet Joh. Ludov. Hartmann *Tom. 3. Concil. illustr. p. 395. seq.* verba concilii *in Can. 17.* hæc sunt: *Si quis habens uxorem fidelis, concubinam habeat, non communicet. Cæterum is qui non habet uxorem, & pro uxore con-*

concubinam, a communione non repellatur, tamen ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ, (UT EI PLACUERIT) sit conjunctione contentus alias vivens abjiciatur, donec desinat & ad pœnitentiam revertatur. Totus contextus ostendit, concilium loqui de concubinatu justo matrimonio contra distincto. Et quamvis *canon. 4. dist. 34.* verba *canonis 17.* adducta non integra proferat, tamen & ibi videre est, sermonem esse de concubinatu, non matrimonio justo.

b) Occasionem huic inepto effugio dedit Gratianus, qui ut aliquid afferret, quo dissensum concilii Toletani a sententiis memoratorum Ecclesiæ Patrum tolleret, præmisit dicto can. 4. dist. 34. *Concubina hic intelligitur, quæ cessantibus legalibus instrumentis unita est, & conjugali affectu adsciscitur. Hanc conjugem facit affectus, concubinam vero lex nominat.* Quodsi hic sensus Gratiani esset, ad matrimonium jure naturæ sufficere intentionem generandi cohabitatione continuata sobolem & talem affectum conjugalem etiam in concubinatu esse, verum quidem dixisset, sed id non fuisset sufficiens ad contradictionem Patrum tollendam. Verum ostendunt sequentia ap. Gratianum post *dict. can. 4.* quod per *conjugalem affectum* intelligat intentionem *individuæ consuetudinis*, & sic falso explicat concilium Toletanum, utpote quod haud dubie de concubina loquitur, quæ assumta est interim loco uxoris cum libertate dimittendi. Observantes hoc alii, Gratianum non recte explicasse mentem concilii, dicunt, equidem per concubinam intelligi talem, *quæ vera quidem est uxor, sed non legitima, verum talis, quæ alicui sine solennitatibus Ecclesiasticis est sociata.* Vide Zieglerum *in notis ad Lancelottum lib. 4. tit. 8. §. ult. p. 993.* Hi, si per *veram* uxorem intelligant uxorem *secundariam* & *vice uxorem*, recte quidem canonem explicant, sed tamen dissensum Patrum ita non conciliant. Sin per veram uxorem intelligant cum intentione *individuæ consuetudinis* & *affectu maritali* ductam, æque falso ac Gratianus sensum concilii Toletani exponunt. Conf. Havemann. *Gamol. lib. 3. tit. 2. §. 5.* Wissenb. *ad tit. Cod. de concub.*

c) Vixit Isidorus Hispalensis seculo septimo, adeoque diu post Hieronymum & Augustinum. Hic *in libro de distantia veteris & novi testamenti* inter alia & hanc differentiam ponit, relatam a Gratiano *c. 5. dist. 34. Christiano non dicam plurimas sed nec duas simul* (vel uxores vel concubinas, ut in veteri testamento) *habere licitum est, nisi unam tantum aut uxorem aut loco uxoris, si conjux deest*, (in quo iterum a Veteri Testamento nova differentia sita est) *concubinam.*

d) Extat in canonibus illis Apostolicis 17. *Si quis post baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deserviunt. T. 1. concil. illustr. p. 106.* Hic equidem interdicitur concubinatus Clericis sed non Laicis. Quamvis autem constet, canones illos esse supposititios, & seculo demum quinto aut serius fictos, illustrationis tamen gratia eo uti possemus, quod tempore fictionis hujus nondum creditum fuerit, concubinatum in universum esse illicitum, nisi constaret, a multis credi ab hæreticis eos canones esse compositas. Vide Ruelium *in disc. proœmiali ad illos canones d. Tom. I.* Ergo hoc quidem argumento supersedebo.

e) Cum hic versemur in negativa, probatio a nobis non postulanda, sed ostendendus erit locus ex conciliis concubinatum damnantibus. Deprehendi equidem, postquam hæc scripseram, Gonzalez Tellez *ad cap. 6. de cohab. Cler. & Mul. f. 74.* jam a primis Ecclesiæ seculis putare prohibitum esse in variis conciliis, concubinatum tam laicorum, quam cleriorum, atque provocare ad exempla quædam, quæ ipse adduxerit *in concil. Elibert.* Sed quemadmodum in ipso concilio Elibertano nulla talis prohibito legitur, ita commentarius ille Tellez ad istud concilium non est ad manus, unde non possumus ad illam objectionem distinctius respondere.

§. XXIII.

An post Novellam in Imperio Oc-

Imo etsi nullum sit dubium, Leonem philosophum adeo primum esse, qui sententiam Augustini de concubinatu pu-

publica lege approbavit; (a) uti tamen non constat, an & quamdiu in Imperio orientali ista Novella Leonis observata fuerit, (b) ita quod jus Civile imperii occidentalis attinet, notum est, Leonis Novellas non habere autoritatem probandi, (c) imo quod jus canonicum concernit, quo hodie utimur, mirandum est, quod in decretalibus Epistolis Pontificum nullus titulus extet de concubinatu, (d) ut adeo non sit a vero absimilis sententia ICtorum celeberrimorum, jus, canonicum non prohibere concubinatum. (e)

cidentali recepta fuerit, jure Civili velCanonico, dubitatur.

a) Per dicta §. 17. 21. 22.

b) Sed confer tamen infra notata *ad §. 32. lit. c. n. 4.*

c) Quia tempore Leonis Philosophi imperium occidentale jam erat ad Germanos translatum. Postea vero jus Justinianeum quidem in Germania fuit suo modo receptum, nunquam Novella Leonis.

d) Non obstat *totus titulus de cohabitatione Cleric. & mul.* item *cap. si concubinæ 55. de sententia excomm.* ubi variæ pœnæ Ecclesiasticæ in concubinas & concubinarios constitutæ leguntur. Nam resp. (1) Textus illi non pertinent ad concubinas in genere, sed ad concubinas clericorum in specie. (2) Ratio earum non tam quærenda est in turpitudine concubinatus in se, quam in læsione voti castitatis, quod clerici profitebantur. (3) Neque has tamen constitutiones habuisse effectum, ut patebit ex dicendis §. 27.

e) Vide Zieglerum ad Lancell. *lib. 4. tit. 8. §. ult. p. 993.* Wissenb. *ad cod. tit. de concubin. p. 216.* videlicet ob dict. *c. 4. & 5. dist. 34.* Franc. Hotman. *de spuriis & legitimatione cap. ult.* Cont. Havemann. *Gamol. synopt. l. 3. tit. 2. §. 5.* Etsi enim retulerit sententias Augustini, tamen etiam retulit sententiam Isidori & Concilii Toletani, & Augustinus partim certam concubinatus speciem admittit *c. 6. C. 32. q. 2.* partim ratione destituitur. Conf. dicta *superius §. 21.*

§. XXIV.

§. XXIV.

Licentia concubinatus sub Imperatoribus Germanis.

Adjuvat vero valde conjecturam de durante licentia concubinatus in Imperio certe occidentali, quod, si evolvas capitularia Regum Franciæ & Imperatorum Germanorum, deprehendas perspicue, concubinatum viri, qui uxorem jam habet, quidem prohibitum legi, (a) sed sub mulcta pecuniaria, (b) ratione eorum autem, qui uxores non habebant, mansisse quidem differentiam inter uxorem & concubinam, concubinatum & matrimonium, sed saltem quoad perfectionem & honestatis gradum. (c) Ut taceam exempla (d) illustria natorum ex concubinis pro infamibus non habitorum, sed in bonis paternis succedentium. (e)

a) Capitulare Caroli M. Ludovici Pii colligente Ansegiso *l. 6. cap. 230.* (apud Baluz. *T. 1. p. 962.*) *Uxorem habentes nec pellicem nec concubinam habeant.* Idem dicit *cap. 433. eod. lib. 6. & lib. 7. cap. 336.* Adde *Addit. 2. cap. 23. (d. T. I. p. 1145.)*

b) Pipinus Rex Italiæ, in capit. 34. *(d. T. I. p. 540.)* concubinatum uxoratis prohibuit, sub pœna Wergeldi.

c) Capitulare Ansegisi *Lib. 7. cap. 59. (T. I. p. 1039.) Nam omnis mulier viro juncta uxor est viri* &c. *Itaque aliud est uxor, aliud concubina* &c. *Non est dubium, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur, nuptiale non fuisse mysterium* (id est *sacramentum matrimonii*, ut ex Hincmari epistolis perspicue probat Baluz. *in notis ad Capitul. Tom. 2. p. 1234.*) *& capit.* statim sequente 60. *Non est conjugii duplicatio, quando ancilla relicta uxor adsumitur, sed profectus est honestatis.* Adde *capit. 105. d. lib. 7.* quod hactenus excerpta latius repetit & declarat.

d) Ne nobis objiciatur, exemplis non esse judicandum, sed legibus.

e) Ita notum est, Pipinum Crassum, majorem domus, sub linea Merovingica præter Plectrudem, conjugem legitimam, in concu-

concubinatu habuisse Alpaidem & ex ea Carolum Martellum genuisse. Ei quamvis Clerus huic concubinatui adversaretur, eo tamen non obstante, Carolum hunc Martellum etsi nothum Patri successisse. *Vide* Lehmann. *Chronic. Spirensi lib. 3. cap. 19. & 20.* Ita Arnolphus, Carolomanni, Ludovici Germanici filii, filius nothus, Rex Germaniæ & Imperator factus. Et nullum est dubium, seculo nono, decimo & sequentibus concubinarum virorum & illustrium, in Italia pariter, & Germania, & reliquis Europæ partibus, fuisse exempla non infrequentia, nec uspiam legi, privatis & non uxoratis concubinatum, esse prohibitum. Etsi autem Ludovicus jus *in Capitulari anni 816.* liberos concubinarum regiarum a successione excludat, admonet tamen fratrem seniorem, liberis legitimis deficientibus succedentem, ut cum liberis regiis ex concubinis natis misericorditer agat.

§. XXV.

Nationes contra licentiam concubinatus.

Videmus jam, quænam fuerit ratio, cur concubinatus non potuerit abrogari illis temporibus, etsi multi pontifices & Episcopi serio id agerent, ut abrogaretur. Sane nullum est dubium, multas propositiones ut verissimas seculis illis jam fuisse receptas, ex quibus sua sponte fluebat, concubinatum esse statum inhonestum. Nam 1) matrimonium habebatur jam seculo nono & decimo pro sacramento. (a) 2) Ad autoritatem majorem huic sacramento conciliandam multum conducebat persuasio concubitum omnem non sacramentalem i. e. non cum legitima uxore esse illicitum, imo fornicationis & adulterii speciem. (b) 3) Non habebatur pro matrimonio conventio partium privata, nisi accederet benedictio sacerdotalis publica. (c) 4) Dimissio uxoris citra adulterium credebatur esse contra prohibitionem Christi, etiamsi alias gravissima divortii causa subesset, quæ etiam in

prioribus post Christum natum seculis ab Ecclesia fuisset admissa. (d) 5) Cessabant aut cessare credebantur causæ permissi olim concubinatus apud Hebræos & Romanos, quas jam supra hinc inde recensuimus. (e)

a) Vide modo notata *ad thes. præced. lit. c.*

b) Ex doctrina videlicet Ambrosii & Augustini *supra* §. *16. & 21.* exhibita. A quibus repetiit Gratianus *post. cap. 2. C. 6. qu. 1. Fornicationem esse genus omnis concubitus illiciti extra uxorem legitimam.* Sed non magis hanc assertionem *juri* Hebraico Romano ignoratam ulla ratione probat, ac Augustinus. Adde, quod jam a temporibus Augustini videatur constanter in Ecclesia doctum, & post collectionem Gratiani in seculo 2. etiam communiter creditum esse, adulterium ex jure universali & jussu divino esse, etiam concubitum maritic um soluta (quamvis hæc sententia repugnaret juri Mosaico & Romano) *vid. can. 13. 15. 16. caus. 32. qu. 6.*

c) Vide Hochman. *de bened. sacerdot. cap. 2. §. 29. seq. p. 50. seq.*

d) Vide Selden. *de Uxor. Hebr. lib. 3. cap. 28. seq. ad finem libri.*

e) Scilicet licentiam polygamiæ apud populum Hebræum & interdictionem nuptiarum apud Romanos cum ancillis, libertis, provincialibus.

§. XXVI.

Rationes contra licentiam concubinatus.

Contra haud dubie obstiterunt aliæ rationes non minus prægnantes, quæ concubinatus universi abrogationem impedierunt. 1) Concubinatum libidinis causa initium non confundendum esse cum concubinatu scortationis evitationem intendente. (a) 2) Posterioris hujus causas subesse honestas partim intuitu juvenum, (b) partim intuitu viduorum. (c) 3) Doctrinas illas de sacramento matrimonii & conceptu fornicationis, ut bene omnes doctrinas matrimoniales, eo tendere, ut

sub

ſub prætextu pietatis Laici Clericorum imperio pluſquam deſpotico ſubjicerentur. (d) 4) Etſi quis in conjunctione cum concubina habeat intentionem eam non derelinquendi, meliorem tamen eſſe hoc intuitu conditionem ejus, qui concubinam habet, quam qui uxorem, ſi poſtea juſta cauſa eam dimittendi oriatur. (e) &c.

a) Qualem hactenus oſtendimus fuiſſe Concubinatum Hebræorum & Romanorum. Quod ſi dicas ſæpe tamen palliari libidinem ſub titulo concubinatus, concedam. Sed propter abuſum tamen non ſtatim tollitur uſus. Palliatur ſæpe libido ſub ſpecie matrimonii. Sed audi, quid reſpondeat Auguſtinus *can. 3. C. 32. q. 2. Quicquid inter ſe conjugati immodeſtum, inverecundum, ſordidum gerunt, vitium eſt hominum non culpa nuptiarum &c.*

b) v. g. Si non habeant donum continentiæ, & non poſſint tamen, ob deficientia media ſuſtentandæ uxoris juſtæ, talem, quæ ſtatui eorum æqualis ſit, invenire, ducendo autem vilioris conditionis fœminam vel ſtatus ſui dignitatem proſtituant, vel etiam ſpem omnem futuræ promotionis ſibi præcludant. &c.

c) Ne ducendo ſecundam & tertiam conjugem & multiplicatione liberorum legitimorum, conditionem liberorum primi matrimonii miſeram reddant. Huc pertinet exemplum Antonini Imperatoris ſupra adductum §. *16. lit. d.*

d) Meretur dignitas materiæ, ut peculiari diſſertatione imo integro volumine hæc obſervatio ad oculum demonſtraretur, leges connubiales plerasque a Clero pontificio ſub ſpecie pietatis in orbem Chriſtianum noviter introductas, primario ei fini inſerviſſe, ut ſub intolerabili jugo Laicos detinerent, ipſi videlicet ab hoc jugo exemti, cum ſibi ipſis omnem matrimonii legitimi uſum interdixiſſent. Et ſi vel iſtud ex hiſtoriis per ſecula colligeretur, quam tyrannidem ſub hoc prætextu in ipſos Reges Chriſtianos exercuerint Pontifices, & quantis aſtutiis uſi fuerint, quicquid voluerint ab illis hoc

medio extorquendi, suppeditaret non parvo volumini scribendo materiam sufficientem. Speciminis loco potest esse, quid inter Henricum VIII. Angliæ Regem & Pontificem hac parte gestum fuerit, & quomodo tandem ista tyrannis Papalis ansam dederit, ut Henricus IIX. jugum papale excuteret.

e) Nam si justa esset uxor, non poterant secundum tradita juris canonici aliam ducere, etiamsi adultera esset, nisi dispensatione impetrata a Papa quam difficile obtinebant, inprimis privati. At concubinam poterant ex justa & gravi etiam alia causa, sine præcedente impetratione a quovis superiore, repudiare.

§. XXVII.

Vera ratio concubinatus tam diu tolerati luscivia Cleri Pontificii.

Sed hæ rationes quidem, etsi non nullius ponderis, non movebant Pontifices, ut concubinatum, pro potentia, quam in seculo duodecimo & sequentibus sibi jam paraverant, non penitus abrogarent. Retinebat potius eos lascivia propria, & eminens Cleri pene totius Pontificii, cui cum matrimonio omni interdixissent, & tamen donum continentiæ ipsi concedere non possent, permittendæ erant libidines omnis generis nefandæ, & adeo etiam libidines sub specie concubinatus palliatæ, ita ut clericus ille pro casto haberetur & laudando, qui una saltem concubina contentus esset. Hoc vero præsuppositio non tutum videbatur, laicis omnem concubinatum velle interdicere.

Huc pertinet charta Ludovici VI. Regis Galliæ adducta Dufresnio *in Glossario sub voce concubina. Ut Clerici ejusdem Ecclesiæ, sicut usque modo vixerunt, permaneant: hoc tamen præcipimus, ut Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi nullatenus deinceps uxores concubinas habeant? cæteri vero cujuscunque ordinis Clerici propter fornicationem licentiam habeant, ducendi uxores* (concubinas.) Pergit Dufresnius. *Concubinas præterea*

terea olim toleratas vel non omnino prohibitas, vel denique adeo hunc invaluisse abusum, ut eas tolerari necessum judicarint Pontifices, tametsi subinde variis in conciliis (at in quibus?) *damnatus sit, colligere licet ex concilio Vermeriensi anno 752. c. 7. ex Nicolao I. P. P. Epist. 59. & in resp. ad Bulgar. cap. 3. ex Johanne VIII. Epist. 198. Vide Crisconium in Brev. c. 230. 231. adeo ut etiam cum uxore legitima concubinam habere quodammodo licuerit, quam uxoris appellatione donant capitula Herardi Archiep. Turon. cap. 110.* Idem Dufresnius *voce Focaria: Praesertim Focariae appellatae Presbyterorum & Clericorum concubinae*, (olim concubinae militum *l. 2. C. de Don. int. V. & XV. l. 3. C. de cond. insert.*) *Gerardus de Schueren in Vocabul. Focaria: ein huere by den Hert. &c.* Pertinet etiam huc ex gravaminibus nationis Germanicae in comitiis Noriberg. 1523. propositis (*gravamen 31.* ap Schilter. *de libert. Eccles. Germ. l. 7. c. 2. p. 582.*) *Saepenumero compertum est, cum consecratis praesertim sacerdotibus per jura canonica legitimae uxores sint interdictae, quod de hinc pudicitiam matronarum, virginum laicorum scilicet uxorum, filiarum sororum attentant, ac noctu inter diuque sollicitant. Efficiunt quoque per assiduum ac indefessum laborem, partim muneribus, donis ac blanditiis, ut complures honestae alioqui virgines & matronae, partim etiam in secretis, quas, vocant, confessionibus, diuturna opera labefactentur, ad peccata offendiculaque commoveantur, nec raro etiam evenit, ut hi uxores ac filias maritis patribusque detineant & remorentur, minantes interim gladio, aqua, igneve ulturas repetitas uxores. Atque tantorum malorum segetem ex libidine insana contrahunt* &c. durasse vero concubinarum clericalium abusum usque ad seculi decimi sexti initium argumento est scriptum satyricum: *De meretricum in suos amatores, & concubinarum in sacerdotes fide quodlibeti Heydelbergensis quaestiones salibus & facetiis plenae* &c. quod a Jacobo Wimpfelingio acceptum Crado Udenheimius scholae Schletstadiensis praefectus anno 1501. typis imprimi curavit.

§. XXVIII.

Primus inter Pontifices Leo X. initio ſeculi 6. concubinatum prohibuit, aſtute magis quam ſerio.

Tandem tamen paulo poſt initium ſeculi decimi ſexti, primus, quod ſciam, Leo X. Pontifex in Concilio Lateranenſi prohibuit Clero, non libidines concubinatu turpiores, ſed concubinatum. Videlicet pro aſtutia, qua pollebat, ut Laicis ora obduraret conquerendi de laſcivia Cleri, cum ipſimet non raro ſub ſpecie concubinatus libidinem palliarent. Quare & ita prohibitionem illam concubinatus Clericalis direxit, ut verbis quidem graviſſimis videretur deteſtari iſtum Cleri concubinatum, & ſerio rem agere in ejus abrogatione, cæterum, ſi accuratius rem perpendas, id revera egit, ut laicis inde ægre fieret, & Clerici facile totam illam prohibitionem eludere poſſent.

Extat illa prohibitio in ſeptimo decretalium *lib. 5. tit. 16. cap. 2.* Præceſſit quidem illam prohibitionem Leonis decretum Concilii Baſileenſis, relatum a Gonzalez Tellez *ad cap. 6. de cohab. cleric. & mulier. p. 74. & 77.* ſed tantum in admonitione ſubſiſtens nullam pœnam dictitans. Cæterum meretur obſervatio theſeos noſtræ peculiarem diſſertationem. Hic ſaltem rem in ſummam contrahamus. 1) Docet illud capitulum non obſcure, laboraſſe totum clerum & omnes adeo ſuperiores, etiam Clericos, imo Pontifices ipſos, concubinatu valde libidinoſo, 2) & tamen jubet Pontifex, Clerum vitioſum corrigendum eſſe, non a Laicis, ſed a ſuperiore Clero. 3) Quod ſi hic pœnam neglexit, cum coercendum eſſe a Clero adhuc ſuperiore, & hunc denique ab ipſo Papa. Quis hic non videret, aſtute elidi a Pontifice querelas Laicorum, cum concubinarius non facile ſoleat punire concubinarium. 4) Hortatur quidem Laicos, ut a concubinatu omni, (etiam non libidinoſo,) abſtineant, urgens doctrinas hactenus ab univerſo populo receptas, (quas in ſuperioribus ſatis examinavimus) quod omnis fornicatio ſit prohibita in ſacris litteris,

ris, & quod Apostolus consilium det, ut qui se continere nolit, uxorem ducat? adeoque concubinatum Laicorum non diserte prohibet. 5) Sed tamen Laicos huic monito non parentes non relinquit puniendos magistratui laico, sed hortatur clerum, ut divini observantiam præcepti canonicis remediis (i. e. excommunicatione) omni studio introducere laborent. 6) Certus adeo erat Pontifex, vel Laicis ita ora obduratum iri, ne amplius clamarent adversus cleri concubinatum, vel, si clamare pergant, Clerum per hoc capitulum habiturum mille occasiones ægre faciendi laicis, nullam vero Laicos, Clerum adigendi ad observantiam hujus capituli. Et, nisi me omnia fallunt, hæc etiam genuinus ratio est, cur Laici, in Gravaminibus anno 1533. propositis *ad th. præced.* excerptis, de reliquis libidinibus Cleri quidem graviter conquesti sint, de concubinatu clericali vero ne hiscere quidem fuerint ausi; quod factum non esse, antea valde mirabar.

§. XXIX.

Quamvis vero haud dubie multi ex Laicis postea sæpius in conventibus imperii de libidinibus cleri variis conquesti fuerint, nihil tamen obtinere potuerunt, quam ut abolitio libidinis Ordinationi Politicæ Augustanæ 1533. sed verbis nimis generalibus, & maxime frigidis, insereretur, quibus tamen etiam concubinatus notaretur, etsi ejus diserta mentio non fieret, & verba obscuriora essent, utrum omnis concubinatus iis esset prohibitus.

Postea in ordinat. Polit. 1539. eadem prohibitio, sed frigide nimis repetita.

Res patet ex verbis dict. Ord. Polit. tit. 33. von leichtfertiger Beywohnung. Dieweil auch viel leichtfertiger Personen ausserhalb von GOtt auffgesetzter Ehe zusammen wohnen, auch der öffentliche Ehebruch nicht gestrafft, sondern gestattet, dadurch der Allmächtige, nachdem er wieder sein Göttlich Gebot, hoch beleidigt, auch zu vielen Aergernissen Ursach giebt: derohalben ordnen und wollen wir, daß eine jede geistlich und weltliche Obrigkeit, der solches ordentlich zugehö-

gehöret, ein billich Einsehens haben soll, damit solche öffentliche Laster der Gebühr nach ernstlich gestrafft und nicht geduldet werden. Concubinatum hic simul prohiberi docent verba: ausserhalb von GOtt auffgesetzter Ehe. An omnem? dubium ob verba: viel leichtfertiger Personen. Ratio cur ita obscure & generaliter hæc sint posita, facile petenda ex dictis *ad §. præced.*

§. XXX.

Nec initio reformationis concubinatus omnis pro turpi habitus.

Sed nec Lutherum & Theologos Wittebergenses initio reformationis concubinatum omnem pro statu turpi & valde scandaloso habuisse, docent verba consilii a Theologis Wittenbergensibus anno 1539. Philippo Landgrafio Hassiæ dati. (a) Ut taceam, quod in consiliis matrimonialibus a Sarcerio paulo post initium reformationis editis, nihil vel certe parum de concubinatu, illo tempore tamen adhuc satis frequente, agatur, nec ille ut prohibitus & turpis notetur. (b)

a) Edidit hoc consilium Daphnæus Arcuarius in der Betrachtung vom heiligen Ehestande. Autores ejus sunt, vel certe ei subscripserunt, præter alios præcipui Martinus Lutherus, Philippus Melanchton, Martinus Bucerus, Antonius Corvinus &c. Extat illud, sed ut apparet, valde mutilatum & emendatum, etiam in Sarcerii *Corpore juris matrimonialis f. m. 273. seq.* Conf. Michaëlem Siricium *de uxore una cap. I. p. 44.* Verba ad quæ respicio hæc sunt, ap. Arcuarium *p. 237. Quodsi denique Vestra Celsitudo omnino concluserit, adhuc unam conjugem ducere putamus, id secreto faciendum, uti superius de dispensatione dictum, nempe ut tantum V. Celsit. illi personæ, ac paucis personis fidelibus constet Cels. V. animus & conscientia sub sigillo confessionis. Hinc non sequuntur* ALICUJUS MOMENTI *contradictiones, aut* SCANDALA. *Nihil enim est inusitati, principes* CONCUBINAS *aliere &c.* Jungendus tamen cum hoc loco erit alius Lutheri locus ex *T. 7. Jenens. Germ. fol. 425.* Daß ihr Fürsten zum Theil den Holtz-

Weg

Weg gehet, da habt ihr leider dahin gebracht mit euren bösen Exempel, daß schier der Baur nicht mehr will für Sünde halten, und habt uns zu thun gemacht, daß wir mit aller Mühe schwerlich den Ehestand fein löblich und ehrlich erhalten, ja wieder anrichten können.

b) Prima editio prodiit Anno 1553. secunda auctior anno. 1569. Etiam in secunda editione nihil in toto opere inveni de concubinatu, *nisi fol. 224. seq.* tractatulum non neminis sub rubrica: Ein kurtzer Auszug von Ehesachen, aus gemeinen- und doch vornehmlich Päbstlichen Rechten in Fragstücke und Antwort gestellet: darinnen zu sehen, daß es die Canonisten auch nicht allezeit so schnurrecht mit den Ehesachen troffen haben. Derhalben kein Wunder: ob noch Leute seyn, die hierinnen etwa straucheln. Quod sic intelligo: Theologi tum temporis passim, nec sine ratione monuerunt, Canonicum jus multa falsa & impia docere, etiam in causis matrimonialibus. Jureconsulti vero, cum non aliam haberent normam pronunciandi, quam jus Civile, & Canonicum, & in materia nuptiarum jus canonicum præ civili esset receptum, pergebant pronunciare secundum jus Canonicum. Hoc pacto vero fiebat, ut Principes sæpius consulerent Theologos in causis matrimonialibus. His vero, rejecto jure canonico, sæpe aqua hærebat, unde sumerent fundamentum novum. Nam Theologia scholastica hic videbatur æque suspecta, ac Jus Canonicum; Philosophia moralis Aristotelis erat insufficiens; doctrina juris naturalis tum adhuc in puteo latebat: lex Mosaica in universum ob concessionem polygamiæ & divortiorum non poterat esse norma adæquata &c. ergo fluctuabant & variabant in suis responsis & consiliis. JCti hæc videntes, haud dubie Theologis iterum objiciebant, hos esse fructus Juris Canonici rejecti, & facilius esse normæ imperfectæ nævos arguere, quam aliam normam perfectiorem substituere. Huic scommati videtur oppositus esse hic tractatulus. Qui, ut ad scopum nostrum revertar, de concubinatu *fol. 133. b.* præter definitio-

tionem concubinatus, & annotatam differentiam juris canonici & civilis quoad licentiam concubinatus, ne verbulum quidem addit, unde colligere possis, quænam sit Autoris sententia de hoc licentia.

§. XXXI.

Exemplum illustre concubinatus liciti, adhuc in medio seculi decimi sexti.

Quod vero adhuc post medium seculum decimum sextum creditum fuerit, concubinatum non omnem libidinis esse speciem, sed potius quosdam concubinatus pro fine habere evitationem vagæ libidinis, & scortationis, & quod adhuc initio seculi decimi septimi, liberi ex tali concubinatu nati, nec pro infamibus, nec pro vilibus, sed solum inferioris dignitatis a paterna crediti ac ita ad nuptias etiam fœminarum nobilium admissi fuerint, illustri exemplo ex familia Comitum Isenburgensium petito probari poterit.

In controversia inter Ludovicum Landgrafium Hassiæ, & Wolffgangum Ernestum, Comitem Isenburgensem, initio seculi 17. publicis scriptis ex utraque patre super alienatione pagorum quorundam agitata, prodiit etiam Francofurti 1619. a parte Comitis Isenburg. Summarischer Bericht dero zwischen &c. Hessen und &c. Ysenburg streitigen Alienations-Sache &c. ubi *fol. 141. seq. lit. y.* legitur etiam dispositio Antonii Comitis Isenburgensis de bonis Concubinæ post mortem ejus reliquendis, cujus verba initialia sunt: Nachdem wir nechst verschiedener Zeit unserer Nothdurfft und Gelegenheit nach mit guten Vorwissen und Bewilligung &c. unserer lieben Söhne &c. die erbahre Catharina Gumpelin als für unsere ehrliche Concubin, zu uns genommen, Gemüths und Meynung, unser Gewissen dadurch zu entledigen, Unzucht zu vermeiden, und vermittelst Göttlicher Gnade einen Gottseeligen Wandel zu führen, und sich dann ermeldte Catharin biß anhero bey uns recht, redlich, wohl und ehrlich gehalten, inmassen sie auch hinführo thun soll und will. &c. Conscripta fuit illa dispositio anno 1553. & ab Antonio Comite & ejus filiis

filiis subscripta ibidem *f. 147. seq.* additur copia Schreibens an die Römische Käyserliche Majestät der Wetterauischen Correspondenz-Grafen, wider Hanß Otten genandt von Ysenburg, desselben angemaßten Gräfflichen Titul betreffend: Ut notabilia sunt hæc verba: Wasmassen einer Hanß Otto von Ysenburg, daher genandt, daß er von &c. Antonio Grafen zu Ysenburg &c. aus einer bey sich eine Zeitlang gehabten Concubin, eines Ysenburgischen Bauren und Leibs angehörigen Tochter erzeugt, unerachtet er &c. die Graffen von Ysenburg &c. in Reden und Schreiben seine gnädige Herrn, in Unterthänigkeit genannt, auch an ihre Liebden Räthe und Diener anderer Gestalt nicht als andere der Herrschafft gemeine Unterthanen geschrieben &c. jedoch sich nicht gescheuet vor etlichen wenigen Jahren erstlich sich &c. dem Cammer-Gerichte &c. sich vor einen gebohrnen Graffen von Ysenburg &c. anzugeben und nunmehro anfangen soll bey des &c. Landgraffen zu Hessen Hoffhaltung und anderswo nicht allein sich selbsten, sondern auch, als er neulich an eines von Adel Tochter sich verheyrathet, denselben den Gräfflichen Titul und Prædicat &c. contribuiren und geben zu lassen &c. Scripta autem sunt istæ litteræ Anno 1608.

XXXII.

Paulo post concubinatus in Concilio Tridentino prohibitus, & a Francisco Hottomanno oppugnatus.

Paulo post in Concilio Tridentino 1563. Concubinatus iterum prohibitus fuit, (a) & mox anno 1566. Papa Pius V. executoriales litteras intuitu concubinariorum publicavit. (b) Circa quæ tempora etiam famigeratissimus JCtus Franciscus Hottomannus, vel primus vel inter primos ex JCtis, qui humanioribus litteris operam dederant, quæstionem illam: an Christianis concubinas habere liceat, tractavit, ac negativam defendit.

a) Vide Petri Suavis *historiam Concilii Tridentini lib. 8. p. 708.* & Sfortiæ Pallavicini *Historiam ejusdem Concilii lib. 23. cap. 8. fol. 275.* qui verba decreti integra posuit. Adjicia-

mus saltem id in summam contractum ex Petro Suavi. *Contra concubinarios* (tam solutos quam uxoratos) *statuere, ut si ter admoniti concubinas non ejecerint, excommunicentur. Quodsi per annum in concubinatu permanserint, contra eos ab ordinario severe procedatur. Concubinæ si ter admonitæ non paruerint, graviter puniantur, & extra oppidum vel diœcesin, si id ejusdem ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio seculari, ejiciantur.* Neque tamen proœmium hujus decreti omittendum, uti refert Pallavicinus. *Grave peccatum est, homines solutos concubinas habere, gravissimum vero & in hujus magni sacramenti singularem contemtum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere, eos quandoque domi, etiam cum uxoribus, alere & retinere.* Porro notat Petrus Suavis *p. 714. Ordinationem contra concubinarios per annum in excommunicatione perseverantes improbant,* (Galli) *ut ab Ecclesiasticis puniantur. Nam pœnarum ecclesiasticarum extremam, ultimam & maximam, secundum doctrinam omnium Patrum, esse excommunicationem. Itaque illam transgredi velle esse, in potestatem temporalem invadere, tantoque magis, quod ipsi facultatem sibi arrogant, concubinas e civitatibus ejiciendi secularem potestatem ludum facientes illa clausula* invocato, si opus fuerit, brachio seculari, *quod perinde est, ac si affirmetur, via ordinaria Ecclesiasticos exterminium istud concubinarum exequi posse.* Huic observationi in se justissimæ, quod opponeret Pallavicinus *in fine cap. 9. p. 279.* nihil habuit, præter exemplum magis dubii juris, ab inquisitorum Ecclesiasticorum potestate desumtum, de eo quid sentiendum sit facile patebit ex dissertatione Dn. Præsid. *de origine processus inquisitorii §. 48. ad §. 55.*

b) Vid. septimum Decretalium *lib. 5. tit. 16. cap. 2.* ubi postquam Papa crimen sodomiticum tam in Clericis quam Laicis severe vindicandum jusserat, subjungit. *Monemus propterea omnes locorum ordinarios & in veritate sanctæ obedientiæ eis præcipimus, ut statuta Tridentini Concilii contra*

concubinarios tam clericos, quam laicos, edicta distincte faciant observari, reddituri Deo, ac nobis, si id omiserint, rationem. Cur hoc monitorio, vel excitatorio opus fuerit, facile patebit, si repetas jam superius annotata *ad §. 28.*

c) *De spuriis & legitimatione. cap. ult.* Rationibus illis utitur: 1) quod Paulus leges Ecclesiis describens statuat, ut quisque scortationis caussa uxorem ducat, & 2) quoties de maris & fœminæ conjunctione præcepta det, diserte maritos & uxores nominet: 3) quod Leo, prohibens concubinatum, præclara illa ratione utatur, de qua lutulenta non quærenda, cum eam e fonte ipso haurire possis: 4) quod ejus exemplum secutus Constantinus Porphyrogeneta constituerit, ut apud Christianos nullum discrimen inter concubinatum & scortationem putaretur, teste Harmenop. *lib. 4. c. 7.* Cæterum an rationes istæ Hottomanni sint sufficientes, patebit ex notatis supra *ad §. 17. lit. e.* Constat autem, Franciscum Hottomannum mortuum esse anno 1590. quo anno vero istum tractatum scripserit, non constat. Ante concilium Tridentinum id factum esse verosimile est, quod ejus non mentionem faciat Hottomannus.

§. XXXIII.

Postea etiam in ordinat. Politica Francof. anno 1577. renovata, eadem, quæ supra retulimus, de concubinatu reperiuntur. *Et in ordinat. polit. Fr. 1577. prohibitio repetita.*

In tit. 26. von leichtfertiger Beywohnung. Eadem hic sunt verba, quæ jam supra ad §. 29. ex ordin. polit. 1533. retulimus, nisi quod verbo: auch der öffentliche Ehebruch eousque ad verba: Ursach giebt, hic sint omissa, & ratione adulterorum ac lenocinii peculiaris & distinctior pœna in dict. tit. 26. peculiaribus paragraphis sit sancita.

§. XXXIV.

Et ab illo tempore Theologi pariter & JCti Lutherani constanter responderunt, concubinatum, etiam unius cum una, etiam non uxorati cum soluta, non esse *Ab illo tempore concubinatus apud nos illicitus.*

esse permittendum, tantum abest, ut iterum in rempublicam Christianam introducatur.

Vide Consilia Wittenbergensia *Part. 4. f. 23. seq.* Consilia Dedekenni Volum. III. *lib. I. Sect. 3. a f. 34. ad f. 41.* Kœnig. *Cas. conscient. cap. 6. de sacra cœna casu 13.* Carpzov. *Jurispr. Consist. lib. 2. def. 237.*

§. XXXV.

Usus dissertationis praesentis.

Sed cui usui, inquis, hæc omnia? sufficit studioso juris, ut sciat, concubinatum esse illicitum & apud nos prohibitum. Verum facilis est responsio. Interest studiosi juris & multo magis JCti, ne Rabula fiat aut Legulejus, (a) ut genuinas Legum rationes indaget, a spuriis aut minus solidis secernat. (b) Interest JCti, ut tandem aliquando confusissima doctrina de matrimonio a confusione illa liberetur. (c) Interest JCti, ut in quæstione, an in Republica Christiana tolerari possit, aut iterum introduci debeat concubinatus unius cum una, rejectis insufficientibus rationibus, hactenus tantum non ubique adductis, (d) alias genuinas & evidentes substituat. (e) Interest cujuslibet Christiani sana ratione utentis, (f) ne dissentientes, (g) aut etiam alterius populi res judicatæ, (h) vel mores a nostris intuitu concubinatus discrepantes, (i) ausu Pedantico, ex rationibus, sub quibus latent arcana politica Cleri papalis, ut impii & profani, vel fucatæ pietatis suspiriis, (k) vel affectato imperio magistratus civilis, tanquam pro tribunali condemnentur. Alios usus ut jam taceam.

a) Rabulæ de sola praxi sunt solliciti, rationes legum & praxeos non curant. Legulejii rationes legum crepant, & rationes rationum, quas videlicet sine judicio ex aliis autoribus collegerunt, non curantes, utrum rationes quid in recessu habeant, modo autoritate aliorum sint roboratæ.

b) JCti

b) JCti officium est, interpretari leges, easque applicare ad negotia in societate civili obvenientia. Inter primaria media genuinæ interpretationis est præcipuum, ratio legis, sive de interpretatione declarativa, sive de extensiva, sive de restrictiva sermo sit. Falsa supposita ratione legis, inanis etiam necesse est ut sequatur applicatio.

c) Confusissimam esse doctrinam de matrimonio etiam apud protestantes, jam alibi docuit Dn. Præses *de pactis futurorum sponsaliorum th. 1.*

d) Scilicet ubique utramque fere paginam faciunt, omnem concubitum extra matrimonium esse scortationem, concubinatum olim quidem non fuisse actum libidinosum, sed hodie esse meram scortationem, & similes. De quibus, uti hactenus passim mentem nostram aperuimus, ita tandem aliquando pudore suffundi deberent eruditi inter Protestantes, pro rationibus istis tanquam si articuli fidei essent, pugnantes, postquam ex ipsis pontificiis doctoribus cordatiores eorum imbecillitatem vel agnoscunt diserte, vel certe non obscure in sola autoritate ecclesiæ hic refugium quærunt. Exemplo sit Gonzalez Tellez, qui *ad cap. 6. de cohab. Cler. & mul. & ad cap. 20. de sponsal.* utrobique id agit, ut concubinatus turpitudinem doceat, & tamen *add. cap. 6. f. 72.* fatetur, rationem, quod nulla sit legitima conjunctio extra matrimonium, petere principium, & alteram, quod in concubinatu non sit votum procreandorum liberorum, sed explendæ libidinis, niti sola confessione Augustini, qui in libris confessionum de suo concubinatu ante baptismum id confiteatur, & *f. 74.* pariter fatetur, quod jure divino concubinatus sit prohibitus, sibi non tam persuaderi per autoritates Jureconsultorum aut Canonistarum ibid. citatorum, quam propter autoritatem Concilii Basileensis, quod expresse hoc asserat. Concubinatum ad fornicationem jure divino prohibitam, pertinere &c. Pariter & *ad d. cap. 20. f. 45.* ad autoritatem S. S. Patrum & Concilii Tridentini provocat.

e) Oſtendamus ſaltem per indicem præcipuas. 1) Non omnia apud omnes eſſe honeſta vel turpia, & quemlibet bonum civem debere ſequi mores ſui populi: hinc, quamvis apud Hebræos & Romanos concubinatus fuerit licitus & honeſtus, ceſſantibus tamen apud nos rationibus ſtatus Hebraici & Romani, poſſe eum apud nos etiam eſſe inhoneſtum & turpem. Conf. ad illuſtrationem hujus rationis ea, quæ diſſeruit Dn. Præſes *de poteſt. Legisl. ſtat. imp. contr. jus comm.* §. *33. ſeq.* 2) Concubinatum ad matrimonium relatum etſi non ſit ſcortatio, tamen eſſe ſtatum imperfectiorem matrimonio, ſecundum mores omnium gentium, nec apud ullas gentes dubium eſſe, quin ſæpe vagæ libidinis ſtudium ſub concubinatu pallietur. 3) Nullum oſtendi poſſe vel veroſimilem rationem, cur in Republica Chriſtiana iterum poſt abrogationem debeat introduci concubinatus. Non favorem juvenum, cito nimis de conjunctione cum ſexu fœmineo cogitantium, qui v. g. in ſcholis vel Academiis nupturiunt antequam ad perſonam patris familias decore ſuſtinendam ſint apti. Non favorem adultorum aut viduorum, eo prætextu utentium, ſe eſſe impares ad ſuſtinenda onera matrimonii pro dignitate juſtæ uxoris, aut ſe nolle liberis prioris matrimonii novercam ſuperinducere. Nam his apud nos hodie conſultum eſt per matrimonium ad morganaticam, quod a concubinatu Romanorum, aut eo, cujus *ſupra* §. *17.* mentionem fecimus, ſaltem in eo differt, quod hic accedat benedictio ſacerdotalis, & libertas dimittendi talem uxorem ſit ademta. Vel etiam, ſi viri non ſint in dignitate illuſtri conſtituti, adeoque horum intuitu non ſit receptum matrimonium ad morganaticam, his tamen non difficile erit invenire uxores, quæ non deſiderent ſuſtentationem, eorum patrimonium excedentem. Adde, quod plerumque ab iis, qui libertatem repudiandi concubinam pro lubitu, tanquam favorem inſignem æſtimant, concubinatus pro pallianda vaga libidine appetatur, qui adeo parum digni ſunt, ut iis leges ſuccurrant. &c.

f) Nam

f) Nam & id inter arcana politica Papatus est referendum, quod suadeant, in casibus conscientiæ vel interpretandis sacris literis, abjiciendam esse rectam rationem, & solam vel præcipuam fiduciam in autoritate esse ponendam.

g) V. g. qui statuunt, concubinatum in se spectatum & circa abusum non repugnare juri naturæ. Conf. supra dicta *ad §. 3. lit. b.* Schilter. *manud. ad philos. moral. cap. 4. §. 39. & cap. 6. §. 18.* Plures ex Glossatoribus, qui agnoverunt, concubinatum non repugnare juri naturæ, citat. (quamvis dissentiens) Gonzalez Tellez *ad. d. cap. 6. d. cohab. cleric. & mul. tom. 3. p. 74.*

h) Ita Annæus Robertus refert *rer. judic. lib. 2. cap. 14.* in Gallia 1584. judicatum esse, donationem vel omnium vel maxime partis bonorum a patre vivo filio ex concubina nato factam, valere. Idem *ibid. cap. 17.* ostendit *anno 1592.* judicatum esse, filiam ex matre genitam, quam pater justo matrimonio per benedictionem sacerdotalem non consummato sibi junxerat, sed saltem apud acta sæpius testatus fuerat quod eam pro uxore legitima habuerit nec alia conditione cum ea rem habuerit, esse filiam legitimam. Utrobique multa immiscentur, quæ hactenus a nobis deducta non parum illustrabunt.

i) Ita ipse Gonzalez Tellez *ad cap. 20. de sponsal. T. 4. f. 46.* refert, in Hispania modo concubinatum Laicorum fuisse permissum, modo prohibitum. Ita Brückner. *decis. matrim. cap. 13. n. 16.* ex Caccialupo narrat, quod in partibus orientalibus Christiani existentes inter Saracenos, cum non possint, nisi cum periculo vitæ, coire cum mulieribus Saracenis, contrahant matrimonium cum Christianis mulieribus, ibi existentibus, coram Consule Venetorum ibi existente, ita, ut vir det mulieri certam dotem parvam, &, ut possit illam licite retinere in illis partibus, donec ipsi placeat, & ad libitum repudiare, dummodo mulieri dicta dos remaneat. Tale matrimonium temporale nihil aliud est quam concubina-

binatus. Ita ex communi errore Jus Justinianeum notari solet ob permissum concubinatum, & ab ejus admiratoribus quibusdam misere defendi, quasi non permiserit, sed toleraverit.

k) Ita Huberus refert *ad L. Jul. de adulteriis* §. 4. talia suspiria, querelas & obtestationes adversus magistratum, adulteras nonnisi mulcta pecuniaria, non vero pœna capitali punire volentem.

FINIS.





Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857867904/phys_0066
DFG

binatus. Ita ex communi errore Jus Juſtinianeum notari ſolet ob permiſſum concubinatum, & ab ejus admiratoribus quibusdam miſere defendi, quaſi non permiſerit, ſed tolerauerit.

k) Ita Huberus refert *ad L. Jul. de adulteriis* §. 4. talia ſuſpiria, querelas & obteſtationes adverſus magiſtratum, adulteras nonniſi mulcta pecuniaria, non vero pœna capitali punire volentem.

FINIS.

UB Rostock 05/4000